PROPUGNACULUM CATHOLICUM DE IURE BELLI ROMANI PONTIFICIS...

Juan : de Cartagena, Timbro non identificato


Digitized by Google



M



Digitized by Google

A

PROPVGNACVLVM CATHOLICVM

DE IVRE BELLI ROMANI PONTIFICIS

Aduersus Ecclesiæ Iura violantes.

Tam Theologis, quàm Iurisperitis, profuturũ valde.

In Libros quatuor diuisum.


AVCTORE P. F. IOANNE DE CARTHAGENA

Ord. Min. de obs. Sac. Theol. Lectore Generali de mandato Sanctissimi, in Regali Conuentu S. Petri Mõtis aurei.

AD S. D. N.

PAVLVM QVINTVM

PONTIF. MAX.



ROMÆ Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ. 1609.


AVTHORITATE SVPERIORVM.

Digitized by Google


8_27_A_35

M

Digitized by Google



FACVLTAS R. ADMODVM P.[IS] COMMISSARII.



FR. LVDOVICVS A S. IOANNE Euangeliſta, Ordinis Sancti Franciſci regul. obſer. in Romana Curia Commiſſarius Generalis, Reu. P. Fr. Ioanni de Cartagena, eiuſdem Ordinis, & Prouinciæ Conceptionis Prædica-

† ij tori,

Digitized by Google

tori, ac Sacræ Theologiæ Lectori Generali, ſalutem & pacem in filio pacis.

Cum opus quodam de Iure belli Romani Pontificis, aduerſus Eccleſiæ iura violantes, Chriſtianæ Reipublicæ, præcipuè tamen Apoſtolicæ Sedi mirùm in modum profuturum, illa tua celebri, quam alijs in tuis operibus futuro ſæculo teſtatam relinquis, eruditione; te compoſuiſſe nobis innotuerit; Ideò nos Sedi Apoſtolicæ, & publicæ vtilitati inſeruientes, & vt in lucem prodeat, ac prælo mandetur magnopere cupientes, quantum ad nos attinet harum virtute facultatem ad id tibi impertimur. Vale. Dat. in Aracelitano Conuentu Almæ Vrbis anno à ſalute

mundi

mundi per Christum mortalibus tradita. 1609.


Fr. Ludouicus de S. Ioanne Euangelista, qui supra manu propria.

De mandato Reu. admodum P. Commissarij.

Fr. Alphonsus à Pace Curiæ Secret.

Digitized by Google

Facultas Reuerendiſsimi Domini Vicegerentis.



Imprimatur ſi videbitur R^{MO}. P. Magiſt. Sacr. Pal. Apoſt.

Ceſar Fidelis Viceſger.

Digitized by Google

EX commissione Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Palatij Apostolici, vidi Quatuor Libros de Iure Belli Romani Pontificis aduersus Sacræ Libertatis violatores, Admodum Reuerendi Patris Fratris Ioannis de Carthagena, Hispani, Ordinis Minorum de Obseruantia, Sacræ Theologiæ Lectoris generalis Romæ, in Regali Conuentu Sancti Petri Montis Aurei. Nihil in eis à Catholica fide, & Ecclesiastica doctrina alienum, vel bonis moribus contrarium reperi, sed insignem doctrinam, pietatemq; singularem obseruaui, eosq; prælo dignissimos existimo. Romæ in Collegio S. Pauli in Columna decimo Calendas Iulij 1609.

Don Victor Capoleonus Clericus Regularis Sancti Pauli.

Digitized by Google

Facultas Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Sacri Palatij Apoſt.

Imprimatur. Fr. Ludouicus Iſtella, Mag. Sacri Palatij Apoſt.

Digitized by Google

SANCTISSIMO,

AC B.MO DOMINO

PAVLO V.

PONTIFICI MAX.o

Frater Ioannes de Carthagena ad humilima pedum oscula.



Mnia tempus habent, dixit Ecclesiastes (BEATISSIME PATER) *Tempus belli, & tempus Pacis*: Nam, *sicut Gubernator* (prout egregiè dixit Philo lib. de Ioseph (*pro ratione Ventorum mutat nauigationis subsidia, non vno modo nauim dirigens; & Medicus non vno, ad omnes morbos vtitur remedio, ac nè in vno quidem morbo, si is variet, sed obseruans intentiones, remissiones, repletiones, vacuationes, causarum mutationes, multa ad salutem variat, nunc hoc, nunc illud*

Eccles. 3.

Philo lib. de Ioseph.

ex-

experiens : sic opinor , & reipublicæ moderator , debet esse multiformis, & multiplex , alius in pace , alius in bello , aliter se paucis , aliter multis opponens aduersarijs. Quod quàm pernecessarium plerumq; sit , cum Ecclesiæ Catholicæ Iura sacrilego ausu violantur , ex his , quæ tradit Plutarcus in Moralibus , clarè liquet : *Vt enim* (ait) *difficillimum , ac periculosum est annosas arbores , quæ iam latè sparsere radices , reuellere loco , & alio transplantare. Ita rempublicam longo tempore suis inueteratam institutis , ad aliam vitæ rationem traducere non licet citra maximos rerum motus :* Idem etiam affirmat Marcellus,qui tam eleganter, quàm verè , Iulio II . dixit in Concilio Lateraneñ , *Videmus multiformem Centaurorum , Satyrorumq; choream , qui Reipublicæ huius formam quotidie immutant , alterant , atq; perturbant ; qui seditiones parant , fouent , enutriunt . Videmus simulatores vndiq;, sophistarumq; sophistas ; quos Dominus in Euangelio , rapaces lupos , appellat , qui ouium vestimentis induti , quibusdam pietatis , & religionis præstigijs mortales illudunt ; in quibus omnis impietas , &*

Plutarc. in moralib.

Marcell. orat.ad Iuliũ II.habita sess. 4. Cóc. Lat.tom.5.

Matth. 7.

libi-

E

libido viget, ambitio dominatur. Et paulò post: *Meritò* (inquit) *conqueri potest Ecclesia, & tanquam omnium Mater, obortis lacbrymis exclamare: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Veh mihi, ex quo dignitatis culmine, iniquorum manibus detracta sum? quo pacto meus mutatus color, offuscatus nitor, cœlestis pulchritudo terrenis sordibus inquinata? His lamentationibus, & querimonijs ad tuos Sanctissimos deuoluta Pedes, in hunc modum opem humiliter implorare videtur: Terras & maria circuiui, & nullum præter te* (PONTIFEX BEATISSIME) *qui me magis diligeret, dignitatemq; meã, & salutem magis curaret, inueni. Tua subditione defensa sum, protecta, mirum in modum aucta:* Hæc olim Marcellus Iulio II. Porrò, quia molestum esset stylo prosequi, quot, & quanta pro Ecclesiæ Iuribus tuendis, Sacri tui Prædecessores, præsertim noster Xystus IIII. Clemẽs V. & Iulius II. viriliter pertulerint; illud vnum dicere non parcam, quod Marcellus idem, eidem Iulio II. in præcitata Concilij Lateraneñ. Oratione, his verbis contexuit. *Quid pulchrius?* (inquit)

Isaiæ 1.

Syxtus IV. Clemens V. Iulius II. Marc. idem Iulio II. in ead. præcitata oratione Cõc. Later.

quid

quid gloriosius, atq; præstantius, quam pro Patria, pro Iustitia, pro libertate certare, mortemq; ipsam (si opporteret) oppetere? Quemadmodum tu PATER SANCTE, *in tam iusto aduersus potentissimos hostes suscepto bello, ita te gessisti; vt ardentissimos æstus, acerbissima frigora, noctes insomnes, aduersas valetudines, omnia vitæ incommoda, & ferè mortem ipsam, non tantum intrepidè tuleris, sed quasi spontè tua obieris. Vnde prius largissima opum effusione ingenti, comparato exercitu, & Bononiæ salus apparuit, & pulsis nouissimè ab Italiæ finibus hostibus, omnem gloriam, omnem immortalitatem, quam nullus vnquam Pontifex assequi potuit, tibi meritò vindicasti; Rhegium, Parmam, & Placentiam tuo Sacratissimo Imperio subdidisti. Ex quo omnis Italiæ locus, omnis Populus, omnis Ciuitas, omnis Respublica, omnes deniq; priuatim, & publicè gaudent, iubilant, exultant. Teq; omnis æui, omnium seculorum, omnium gentium Principem, & Caput appellant.* Sed non secus te (BEATISSIME PAVLE) nunc compellant, in posterumq; omnes compellabunt; cum minoris laudis non

Digitized by Google

F


ſit, parta in pace tueri, quam multa in bello querere. Quod ſanè ita ſtrenuè Beatitudo veſtra præſtat, præſtareq́; nunquam ſinit; vt te Eccleſiæ Catholicæ Gubernacula feliciter tenente, aureum illud Chriſti nati tempus inſtaurari videatur. de quo Iſaias *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium;* Verum licet hæc ita ſe habeant; quia tamen non ſemel accidit, vt mari tranquillo inopina exſurgat tempeſtas: vnde opus eſt nauis Rectoribus, pixidiculam (vt aiunt) nauticam ante oculos habere. Non diſſimiliter, licet hac tua, & noſtra fœliciſſima ætate. cuncti dulci pace fruantur, futuris tamen in poſterum temporibus, ſi offenſiua bella Eccleſiam infeſtare, vel offenſiua prelia, ipſam hoſtibus ſuis moliri contingat; certè Eccleſiæ duces, Catholico hoc propugnaculo roborati, hiſq́; noſtris ſcriptis inſtructi, cum Dauide Propheta intonare poterunt: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum.* Hinc conſulto ſilentio prætereo, BEATITVDINEM VESTRAM deprecari, ut opus hoc,

Iſai. c. 2.

Pſal. 143.

quod

quod grauiſſimorum Doctorum ſenten-
tia, Catholicæ Eccleſiæ magno vſui, futu-
rum iudicatur, benignè ſuſcipiat; Nam &
ipſam operis vtilitatem, & alia noſtra
opera tuo clariſſimo nomini ſacrata; &
hilari fronte à te accepta perpendens,
haud dubitare poſſum, quin noſter hic
pro Eccleſia Catholica ſuſceptus labor,
gratiſſimus futurus ſit SANCTITATI Ve-
ſtræ. Quam DEVS OPT. MAX.
diuinis Cariſmatibus locuple-
tiſſimam, per longiſſimum
æuum conſeruet, ac
ſempiternæ tan-
dem
Beatitudinis par-
ticipem fa-
ciat.





AVCTOR
Ad Lectorem.



V M Hæretici, infestissimi Sedis Apostolicæ hostes, contra Iura Catholicæ Ecclesiæ nunquam oblatrare cessent, ea non verentes labefactare, quæ diuinitus instituta, Oecumenicis Concilijs confirmata; Sacrorum Pontificum decretis stabilita, immemorabili consuetudine roborata, ac Patrum pia custodia obseruata sunt: Hinc est (humanissime Lector) singulare obsequium Ecclesiæ Dei me facturum existimasse, si Propugnaculum istud Catholicum de Iure Belli Romani Pontificis

ficis

ficis, aduersus Iura Ecclesiæ violantes, in lucem proderem; sic enim, præter vniuersalem doctrinæ eius vtilitatem, illud non contemnendum emolumentum, Ecclesia Dei percipiet; vt qui religionis studio, & pietatis amore, à lacerandis, & violandis Ecclesiæ Catholicæ Iuribus minimè se abstinent; saltim Armorum metu, & cruenti belli timore, quod à Sede Apostolica Iure optimo eis indici potest, deterriti, plerumq; coercebuntur. Faxit Deus, ita pro votis contingat.



Digitized by Google

De Iuſtitia, & æquitate Belli ROMANI PONTIFICIS Aduerſus Eccleſiæ iura Violantes.

LIBER PRIMVS.



Præmittitur Catholicum fundamentum, quo acriter impugnatur error quorundam hæreticorum dicentium, nunquam licere Chriſtiano Principi aduerſus alium Principem Chriſtianum bellum gerere. Cap. I.

CVm ædificium in altum erigi nequeat, niſi iacta fundamenta firma, ac ſolida ſint, ideò oportet ante omnia Catholicum, ac ſolidiſſimum iacere fundamentũ, nimirum licitum quandoq; eſſe bellum inter Chriſtianos Principes, in quo turpiter errarunt Ecolampadius, vt refert noſter Caſtro lib. 3. contra hæreſes. verbo, bellum. Cor- *Caſtr. lib. 3. Corn. Agrip.*

A nelius

Digitized by Google

nelius Agrippa. lib. de vanitate scientiarum.c. 79. Erasmus in annotationibus super Lucam. cap.3. & 22.& Chiliad. 4. centur. 1. adag. 1. Et lib. de institutione Principis Christiani. Ezius in Inchir. cap.22. Idem docuerunt Anabaptistæ, vt ex Melanchthone in locis Theologicis cap.de magistratum tradidit Illustrissimus Belarminus de Cõtrouersijs Christianæ fidei.lib. 3. de Laicis cap. 16. Tertullianus lib.de Corona militis, prout refert Vict. relectione 6. de iure belli in principio. Et miror in eundem errorem prolapsum fuisse Ioannem Ferrum lib.4. in Mattheum circa illa verba, c. 16. conuerte gladium tuum in vaginam: quos omnes eruditè, & neruosè impugnant Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ. annot. 156. Paulus Grisaldus ordinis Prædicatorum in decisionibus fid. Cath. verbo, Bellum, Ioannes Arboreus 2. Theosophiæ cap. 14. Et Molina de Iustitia tom. 1. tract. 2. disput. 99. ita etiam docent vniuersi Theologi cum Diuo Thoma 2. 2. q. 40. & in 4. dist. 15. vbi Gabriel quæst. 4. Henricus quolibet. vltimo Alex. 3. part. q. 47. memb. 3. Adrian. in 4. in materia de satisfactione, & restitutione. Victoria duplici relectione de bello; Efficaciter tamen

Erasmus. *Ezius.* *Anabap. ex Melanchthon.* *Belarminus.* *Tertullianus.* *Vict.* *Ioan. Fer.* *Sixtus Senen.* *Paulus Grisal.* *Ioann. Arboreus.* *Molina.* *Theologi cum D. Thom.* *Gabriel.* *Henric.* *Alex. Ales.* *Adrianus.* *Victoria.*

men probari poteſt propoſita veritas aduerſus prædictos omnes. Primo quia hæc eſt cõmunis ſententia Patrum, & Theologorum, vt patet ex Diuo Auguſtino de Verbis Domini tract. 9. & refertur cap. militari. 23. q. 1. & lib. 6. quæſtionũ qui eſt in Ieſum naue. q. 10. & refertur. 23. q. 2. cap. Dominus & 19. de ciuitate cap. 12. & 22. contra Fauſtum à cap. 74. vſq; ad 79. & habetur cap. quid culpatur 23. q. 1. & Epiſt. 205. ad Bonifacium, & refertur cap. noli exiſtimare, in eadem causa, & quæſtione, & Bernardus Sermone ad milites Templi, Diuus Iſidorus. 18. Etimologiarum cap. 1. & refertur 23. q. 2. cap. 1. Diu. Ambroſius 1. officiorum cap. 23. 35. 40. 41. & lib. 3. cap. 14. & Epiſt. 65. ad Syagrium, Idem Theologi loco ſupra relato.

Diuus Auguſ. D. Bernard. D. Iſidorus. D. Ambroſius.

Secũdo probatur quia Chriſtus Dominus in Euangelio non interdixit Chriſtianis, niſi ea quę erant contra legem naturæ, nihil enim in eo prohibitum eſt, quod licitum eſſe Iure naturæ, vt tradit Diuus Thomas 1. 2. q. 107. art. vlt. vnde, & Lex Chriſti dicta eſt Lex libertatis, ſed bellare ſemper fuit licitum in lege naturę, vt patet ex bello quod geſſit Abrahamus cõtra quatuor illos Reges (Geneſ. 14. (cui benedixit Melchiſedech Rex Salem

Diu. Thomas. Iacob. 1. Geneſ. 14.

Sacerdos Dei altissimi dicens *Benedictus Abraham Deo excelso qui creauit cœlum, & terram, & benedictus Deus Excelsus quo protegente hostes in manibus tuis sunt*.

Tertio probatur ex veteri Testamento; nam 1. Regum 15. legimus. *Hæc dicit Do-*
1. Reg. 15. *minus exercituum, recensui quæcunq; fecit Amalech Israeli, nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius, non par-*
Iud. 3. *cas ei* &c. & Iudicum 3. habentur hæc verba. *Hæ sunt gentes quas Dominus reliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes, qui non nouerant bella Chananeorum, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi*: Hæc sanè verba, cum non permissionem, sed absolutã Dei voluntatem ostẽdat, manifestè relinquitur, debellare non esse illicitum Christianis. Item idem patet ex eo, quod orante Moyse
Exod. 17. vincitur Amalech. Exod. 17. Et pugnante
Deuteron. 20. Iosue stetit Sol, vt eo die inimicos expugnaret, Deutero. 2. egressuris Iudęis ad bellum, iubet Deus ab omni re mala custodire
Deuteron. 23. se, Deut. 23. Bellat Deus pro populo suo, cuius aduersarios se se occisurum promittit
Exod. 23. antequam ingrediantur terram promissio-
Iosue 10. nis; Exod. 23. Bellat Deus pro Iosue lapidibus

dibus occidens inimicos; Iosue 10. In bello aderat Deus ipse Iosue consulens, quid acturus esset; Iosue etiam 10. Ad bellum processurus Gedeon contra Madianitas, & Amalechitas induitur spiritu Dei. Iud. 6. An bellaturus sit contra Philisteos consulit Dauid Dominum. 3. Regum cap. 5. Victoriam exposcens idem Dauid contra inimicos, exauditur; 3. Reg. 8. Ergo similiter non est prohibitum Christianis aduersus alios bellare iustis de causis. Nec iuuat quicquam duplex hæreticorum responsio: altera, esse disparem rationem de veteri lege, & de noua. nã in lege scripta, Dominus dicebatur. *Deus vltionum*; in lege verò gratiæ appellatur à Paulo *Deus pacis, & dilectionis*. Altera vero quod si tunc fuerunt licita bella, id sanè fuit vel ex Dei priuilegio, aut diuina reuelatione, aut cõtra infideles. Sed contra est quia Respublica habet ius naturale ad suam, suorumq; conseruationem, ergo cum ad conseruationẽ sui honoris, aut diuitiarum oportet debellare hostes; etiam fideles, licitum id erit ei seclusa omni reuelatione, aut priuilegio. Atque prædictis omnibus locis veteris testamenti addere possumus, quod Numerorum 21. fit mentio libri bellorum Domini:

Iosue item 10.

Iud. 6.

3. Reg. c. 5.

3. Reg. 8.

Paul. Apost. 2. Corinth c. 13. lit. d, num. 13.

Num. 21.

Digitized by Google

manifeſtum autem eſt, quod non vocarentur bella Domini, niſi iuſta eſſent. Quid autem fuerit liber iſte bellorũ Domini, non eſt vna
Auguſt. Chiſ. omnium ſententia. Auguſtinus Chiſamenſis Epiſcopus, cenſet illum nõ fuiſſe volumen aliquod, in quo bella conſcripta eſſent, ſed narrationem quandam communi omnium more apud Hebræos confirmatam; quia
D. Hieron. Hebraicè vox (*ſepher*,) quam Hieronymus vertit *Librum* narrationem, & connumera-
Lyranus. tionem ſignificat. Lyranus, & multi Hebræi putant hunc eſſe librum numerorum appellatũq; librum bellorum Domini; quia in eo narrantur bella per manus Hebræorum
Rabbi Menac. à Domino geſta. Rabbi Menachem dicit hunc librum eſſe reuelationem quandam Dei, factam Moyſi, qua manifeſtauit ei ſe eadem facturum in torrentibus, quæ olim fecerat ad mare rubrum. Auenezra putat eſſe
Auenezra. librum Iudicum, quia in eo multa bella leguntur aduerſus Amorreos. Tamen Diuus
D. Auguſt. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei ait, non eſſe negandum hunc librum, cum pleriſque alijs etiam ante tempora Moyſis fuiſſe conſcriptum.

Quarto probatur Teſtimonijs Noui Te-
Matth. 8. ſtamenti, præcipuè tamen ex illo Matthei 8.

Digitized by Google

Vbi Christus laudat Centurionem, qui dux militum erat; & nō prohibuit ei militiæ exercitium, super quæ verba Diuus Augustin. 22. contra Faustum ait *fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit.* Et Actor. 10. Christo etiam placuit ille alius Cēturio, cuius orationes, & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei. & ex illo Ioannis Baptistæ Lucæ 3. Vbi cum Milites nosse desiderantes quid sibi faciendum esset, vt rectam vitam instituerent interrogarent illum: *quid faciemus, & nos?* ipse respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendijs vestris,* quæ verba elucidans Diuus Augustinus Epistola 5. ad Marcellinum ait: *Si Christiana disciplina bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur vt abijcerent arma, seq; militiæ omnino subtraherent; dictum est autem eis neminem concusseritis nulli calumniam feceritis, sufficiant vobis stipendia vestra: quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtiq; non prohibuit:* idem etiam dicit D. Augustinus 22. contra Faustum cap. 74. vbi addit hæc verba: *Sed quia Manichei Ioannem apertè blaspemare consueuerunt* (ipsi enim

D. Augustin.

Actor. 10.

Lucæ 3.

D. Augustin.

D. Augustin.

Manichęi omnia bella damnabant, vt refert ibi Sanctus Doctor) *ipsum Dominum Iesum Christum audiant hoc stipendium iubentē reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi: Reddite* (inquit) *quæ sunt Cæsaris*

Matth. 22. *Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessariò militi stipendium præbeatur*. Item de Sanctis Martino, & Sebastiano scimus dum milites essent placuisse valde Deo; idemq; de alijs penè infinitis militibus qui pro Christi nomine Martyrium subierunt, Ac tandem si-

2. Machab. 15. cut olim 2. Machabeorum 15. à Sancto Hieremia datus est gladius Iudæ Machabeo, Ita in coronatione Imperatoris ensis illi traditur ad Ecclesiæ defensionem, atque adeò ad bellandum contra omnes illā offendentes. Quod si quispiam iterum respondeat ex his solum colligi licere bella Christianis aduersus infideles, non vero aduersus alios Christianos. Contra est nam si licet Principibus Christianis, ensem euaginare aduersus domesticos Christianos suæ reipublicæ malefactores,

Paulus Apost. Iuxta illud ad Romanos 13. *Non sine causa gladium portat, minister Dei est vindex ad iram ei qui male agit*. Ergo etiam licet eis eundem gladium euaginare aduersus

ſus externos hoſtes Chriſtianos.

Quinto probatur, ſecundum rectam rationem vnuſquiſq; Princeps habet ius naturale ad media ea adhibenda, quæ omnino neceſſaria ſunt ad conſeruationem ſuæ Reipublicæ: at ſæpe contingit non eſſe aliud medium ad prædictam conſeruationem, quam bellum debito modo factum, Ergo licitum eſt Chriſtianis tale bellum, etiam aduerſus alios Chriſtianos, aliàs miſerabilior eſſet, ac deterioris conditionis Reſpublica Chriſtianorũ, quam Turcarum cum hæc ab alijs turcis læſa, poſſit ad reſarciendum malum ſibi illatum, indicere eis bellum, eosq; expugnare, id tamen non liceat Reſpublicæ Chriſtianæ aduerſus alios Chriſtianos illam ledentes. Vnde Ariſtotele 2. Politicorum dixit: Reſpublica debet eſſe ita rectè inſtituta, vt ſit ſibi ſufficiens ad regni gubernationem: non autem eſſet ſibi ſufficiens ſi non poſſet aggredi hoſtes, innocentes defendere, Iniurias ſibi illatas vindicare, ac tandem contra iniuſtos ſuorum iurium violatores inſurgere. Hanc etiam aſſertionem ea, quæ dicemus cap. 3. non parum confirmabunt. Quæ omnia non ſolum conuincunt intentum de bello defenſiuo, ſed & offenſiuo etiam, prout, & illud geſſerunt

Ariſtot.

runt Simon, & Ionatas 1. Machab. 9. Vb Sacer Textus narrat vindicasse mortem Ioannis fratris sui contra filios Iambri.

Contendunt Hæretici prædictum Catholicum fundamentum euertere, sed frustra.
Cap. II.



Rædicti omnes Hæretici supra relati, & alij qui non solum bella Christianorum aduersus alios Christianos, verum, & contra ipsos etiam Turcas damnarunt, cuiusmodi fuere Manichei teste Diuo Augustino lib. 2. contra Faustum à c. 74. Vvichleph, prout refert Vbald. de Sacram. in quem etiam errorem de damnando bello contra Turcas, miserè prolapsum Lutherum apud præcitatos doctores legimus. Hi omnes quibusdam locis Sacrę Scripturæ prauè intellectis impugnant propositum fundamentum; Verum germana eorum intelligentia adhibita, facilè constabit, quid secundum Catholicum sensum sibi velint obiecta ab eis testimonia. Primo obijciunt quædam ex quibus significari videtur illicita esse bella inter Christianos cuiusmo-

Vbaldens.

iusmodi est illud 2. Regum 7. *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es;* & specialiter de lege Euangelica dicitur. Isaiæ 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et cap. 12. *Non occident neq; nocebunt in vniuerso loco sancto meo,* Et illud Zachar. 9. Vbi post illa verba: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus* statim subdit propheta *& dissipabitur arcus Belli, & loquetur pacem gentibus?* 2. Reg. 7. Isai. 2. Zachar. 9.

Respondeo locum ex 2. Reg. nihil obstare: tum quia illa verba *vir sanguinum* referri possunt non ad bellum, sed ad mortem Vriæ, per quod omnino euacuatur difficultas illius loci: tum quia, esto non referatur ad prædictam mortem Vriæ, dicendum est non prohiberi ei ibi ædificationẽ Templi, quia ex se illicitum esset bellare, sed quia vel erat adeo intentus bello, & effusioni sanguinis hostium, vt commodè vacare nõ posset Templi ædificationi; vel certè (quod verisimilius mihi est) Bellatori Dauidi prohibita fuit Templi ædificatio, propter ipsiusmet Templi reuerentiam. Ad testimonia vero Isaiæ, & Zachariæ, multipliciter occurrere possumus, iuxta varias Patrum sententias:

tias:

Iust. Mart. tias: nam primo Respondeo cũ Iustino Martyre in Apolog. 2. pro Christianis, & Diuo Irenæo lib. 4. contra Valentinum cap. 67. per illa verba nihil aliud significari, quam per Christum, ita debellandas fore spirituales inimicorum aduersarias potestates, vt iam non præualerent aduersus fideles iuxta illud Psal. 45. *Venite, & uidete opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella, & cõfringens arma &c.* cui loco D. Ambrosius duplicem adhibet expositionem, quarum altera est de hostibus spiritualibus, virtute Christi superatis. Secundo respondeo cum Origene lib. 5. contra Celsum, & lib. 2. circa Lucæ secundum. verba illa importare manifestum vaticinium temporis aduentus Christi, in quo pax summa vniuerso orbi terrarum futura erat, Iuxta illud quod in Christi natiuitate Angeli cecinerunt, *& in terra pax hominibus.* ac tandem non desunt qui multa verba ex illis referant ad statum Ecclesiæ Triumphantis.

D. Irenæ. D. Ambros. Origen. lib. 5. Luc. 2.

Secundo obijciunt ex nouo testamento illud Matth. 5. *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi, & alteram,* & illud; *Ego dico vobis non resistere malo,* & Matth. 26. *omnes qui acceperint gladium* gla-

Matth. 5.

gladio peribunt; & illud Iacobi 4. *vnde bella, & lites in vobis, &c.* Et illud, ad Roman. 12. *non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ* & ad Roman. ibidem *mihi vindictam, & ego retribuam*, Ecce Chriſtus, & Apoſtolus prohibent Chriſtianis propulſare iniuriam, vel illam vindicare; At conſtat ex omnium ſententia bellum eſſe inſtitutum, vel ad iniuriam propulſandam, vel ad vindictam inferendam: Ergo cum hæc non liceant Chriſtianis reliquum eſt, eis non licere bellum. Nec iuuat quorundam ſolutio aſſerentium prædicta omnia de quibus in præcitatis locis non eſſe in præcepto, ſed in conſilio; nam vt recte notauit Victoria Relect. 6. de iure bell. q. 1. ſatis magnum inconueniens eſſet, aſſerere omnia Chriſtianorum bella, eſſe contra conſilium Domini, maxime quod non ſumere vindictam in præcepto eſt iuxta *illud diligite inimicos veſtros*, &c.

Iacob. 4.

Rom. 12.

Victoria.

Reſpondeo cum Caietano ſuper locum illum 5. Matth. illa præcepta imponi hominibus priuatis, & in ordine ad priuatas iniurias; non verò hominibus publicis, quibus incumbit propulſare iniurias illatas ſuæ Reipublicæ, vel ipſis, vt capita illius ſunt, quia tunc non gerunt rationem priuatæ perſonæ, ſed

Matth. 6. Caietan.

D.Augustin. ſed publicę. Deinde reſpondet Diuus Auguſtinus d. lib.22.contra Fauſtum cap.76. verba illa referenda eſſe ad documentum perfectionis Euangelicæ quo Chriſtus Dominus inſtituere voluit Apoſtolos,& alios Martyres ad tollerantiam laborum & iniuriarum,quas eis illaturi erant Tyranni: quam expoſitionem apertè indicant verba ſequentia: *ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium,* quæ manifeſtè conſtat non importare præceptum, ipſe etiam Diuus Auguſtinus epiſtola 5. ad Mauritium explicat de præparatione animi ad hunc ſenſum, quod ita patienter ſe gerat; vt ſi percuſſus fuerit in vna maxilla, paratus ſit ad ferendam percuſſionem ſimilem in aliā potius quàm Deum offendat. Hanc etiam expoſitionem tradit Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 3. de Pace; Ad locum item Matth. 26. præterquam eadem duplex ſolutio Caietani & D.Auguſtini deſeruit, & vtramq; tradit idem D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap.70.præterquam etiam D. Thomas.2.2.q.4.art.1. ad 2. refert illa verba ad pœnam ſpiritualem animi, ita vt ſenſus ſit quod qui gladio materiali occiderit,gladio ſpirituali anima eius intus occidetur,

D. Auguſtin. (margin)

Matth. (margin)

D. Greg. Nazianzenus. (margin)

D. Thomas. (margin)

tur, iuxta illud Pſal. 36. *gladius eorum intret in corda ipſorum*, quamuis inquam his expoſitionibus quas optimas iudico ſufficienter occurratur prædictis obiectionibus. Reſpondeo nihilominus per illa verba *omnis qui acceperit gladium*, *&c.* ſignificatam fuiſſe à Chriſto Domino pœnam talionis contra priuatos homicidas, iuxtà illud Geneſ. 9. *qui fuderit ſanguinem, fudetur ſanguis illius*. Et illud Apocalip. 13. *qui gladio occiderit, oportet illum gladio occidi*: non tamen per prædicta verba interdicitur Principi, quo minus auctoritate publica, licitè vti poſſit gladio cõtra violatores ſuorum iurium. Immò id ſibi licere apertiſſimè docuit Diuus Paulus dum ad Romanos 13. dixit: *non ſine cauſa gladium portat; miniſter enim Dei eſt, &c.* ex quibus verbis etiam elicitur, Reſponſio ad illa verba, *mihi vindictam, &c.* Tunc enim Princeps non vſurpat Dei auctoritatem, ſed vicem eius gerens, tanquam miniſter illius, vtitur delegata ſibi poteſtate: Atq; his addit Molina de Iuſtitia. tract. 2. diſp. 99. Chriſtum Dominum duplici ex cauſa reprehendiſſe Petrum in prædictis verbis; Prima quia quamuis Petrus tunc in Chriſti defenſionem gladium exemerit; quia tamen abſq; ipſius facul-

Pſal. 36.
Geneſ. 9.
Ioan. Apoc. 13.
D. Paulus.
Molina.

facultate imo cõtra ipsius voluntatem id fecit, idcirco eum Christus Dominus reprehendit. Nosse namq; debebat Petrus tam ex verbis præteritis Christi, quàm ex facto quo se vltro obtulit inimicis, voluntariam esse illam oblationem ad mortem. Atq; hoc significant
Verba Christi verba illa à Christo mox addita: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum*? Eum etiam reprehendit, quoniam factum illud potius videbatur habere speciem vindictæ, quam defensionis: Contra tàm magnam enim, & tàm benè instructam armis hominum turbam, vana erat vnius Petri defensio, ac nocumenti plusquam vtilitatis allatura, vt quæ ad irritandos potius atque incendendos hostes in Christum, quam ad eorum impetum sustinẽdum viresq; infringendas pertineret. Atque hanc causam innuunt verba illa Christi; *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò*
Matth. *plusquam duodecim legiones Angelorum*? Adde fuisse etiam aduersus ministros publicæ potestatis: decuit autem Christum (tametsi illi inique agerent) Petrum in aliorum exemplum reprehendere, quod gladium aduersus publicos ministros stringeret.

Tertio obijciunt quædam Patrum, & aliorum

rum

rum Doctorum testimonia. nam Tertullianus lib. de Corona Militis vltra medium, quærens: an Christiano militia conueniat: Respondet. *Licebit in gladio conuersari Domino pronunciante gladio periturum, qui gladio fuerit vsus? & prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet?* Et Origenes lib. 2. contra Celsum paulo ante medium, ait, Christum omnia bella sustulisse, & tractatu septimo in Matth. obiter exponens illud Lucæ 22. *qui non habet gladium vendat tunicam, & emat gladium* damnat intelligentiam eorum, qui putant Christum consuluisse vendere tunicam ad emendum gladium materialẽ. Et Diuus Ambrosius lib. 10. in Lucam versans prædictum locum de gladio ait *O Domine cur emere me iubes gladiũ, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi forte, vt sit parata defensio, non vltio necessaria.* Et Hieronymus in Epistola ad Ageruchiam de Monogamia. *Olim* (inquit) *Bellatoribus dicebatur. Accinge gladium tuum super femur tuum potentissime; nunc Petro dicitur conuerte gladium tnum in vaginam.* Ac tandem Diuus Augustinus epist. 5. ad Marcellinum hortatur ne patiatur hæreticos Donatistas

Tertullianus. Origenes. Lucæ 22. D. Ambros. D. Hieron. Psal. 44. Matth. 26. D. August.

D. Martin. ſanguinis pœna multari. Et Diuus Martinus (referente Sulpitio in eius vita) Iuliano Imperatori dixit: *Donatiuum tuum Militaturus accipiat, Ego Chriſtianus ſum, mihi pugnare non licet*.

Eraſmi. Hæc & ſimilia tela obijcit Eraſmus ex faretra ſuæ impietatis deducta: verum facilè omnia infringi poſſunt: nam in primis, non Tertulliani. alia ratione diſſuaſit Tertullianus bellum, niſi quia tunc idolatriæ peſtis graſſabatur, erant enim eo tempore omnes fermè Principes Gentiles, vnde per accidens malum iudicabat eſſe tunc temporis bellum, propter circumſtantiam prædicti periculi, & præterea in prædicto lib. de Corona Militis expreſsè docet eos qui milites erant ante Baptiſmum, poſſe in militia permanere recepto baptiſmo: Ergo euidens eſt non iudicaſſe illud fuiſſe illicitum; Vnde in Apologetico cap. 2. ait *Nauigamus, & nos uobiſcum, & militamus, & ruſticamur, & mercamur*. Ecce non magis reprobat militiam quam nauigationem Origen. aut mercaturam. Ad Origenem vero Reſpondeo, quod cum dixit Chriſtum Dominum, omnia bella ſuſtuluiſſe, non intendit Chriſtum Dominũ bella prohibuiſſe, ſed tẽporali ſua natiuitate vniuerſalem pacem in mũdum

in-

Digitized by Google

induxisse cum autem dicit in secundo loco verba illa non esse intelligenda materialiter, rectè loquitur, quia Christus Dominus verbis illis solum intendebat explicare similem futuram esse Passionis tempore Apostolorũ pressuram ei, quam patiuntur quibus, vt se tueantur oportet vendere tunicam, & emere gladium, & in hunc modum soluuntur aliaque idem Erasmus perperam obijcit ex D. Basilio, Chrisostomo, & Theophilacto, & ex Catena in caput 22. Lucæ. Ad Ambrosium autem occurrimus ipsum non loqui de bello, quod publica auctoritate geritur; sed de eo quod priuata vltione exercetur. Et ad Hieronymum etiam dicimus, solum significare voluisse discrimen inter veterem, & nouam legem, quod tunc ad occupandam terram promissionis opus fuit Deum imperare bella, nunc verò ad obtinendum Regnum Cœlorum per terram promissionis figuratum, non opus est arma materialia sumere, ex hoc autem quomodo inferri potest illicitum esse bellum pro defensione Patriæ, vel Legum Sanctarum? Deinde ad testimonium Diui August. ex epist. 5. nescio qua fronte Erasmus ausus sit illud producere in fauorem suæ sententiæ cum apertè illam damnet, vt

Lucæ 22. D. Ambros. D. Augustin.

B 2 pa-

patet clarè ex verbis ſupra adductis cap. 1. probatione 3. in Epiſtola autem 158. ex pietate intercedebat D. Auguſt. pro vita eorum, qui captiui iam erant, & Crimen faſſi fuerãt. hoc autem quid commune habet cum prohibitione belli? Ac tandem ad teſtimonium Diui Martini Reſpondeo, Eraſmum vt moris eſt hæreticorum, decurtaſse, ac truncaſse eius verba; immò & in alia commutaſse: non enim dixit: *Ego Chriſtianus ſum, mihi pugnare non licet*, ſed *hactenus militaui tibi nunc patere, vt militem Deo, Chriſti ego miles ſum, mihi pugnare non licet*. Vt autem conſtat ex eius Hiſtoria ipſe emiſerat votum ſuſcipiendi habitum monachalem, & ideo dicebat, nõ licere ſibi in militia permanere. Quod ſi (vt ipſe Sulpitius ſcribit) poſt ſuſceptum baptiſmum ad huc per duos annos militauit, hoc fuit ex charitate lucrandi fratrem ſuum tribunum ſcilicet militum, qui vna cum illo habitum ſuſcepturum pollicitus fuerat, ex quo etiam apertè conuincitur mendax Eraſmus. Nã ſi Diuus Martinus damnaſset bella, non manſiſset biennio poſt baptiſmũ in militia.

Sulpitius de vita. D. Martini.

D. Martinus.


Quarto obijciunt quædam teſtimonia Iuris Canonici. Nam in Epiſtola beati Leonis 9. ad Ruſticum, & habetur de pœnitentia diſtin-

Beatus Leo. 9.

ſtinct. 3. cap. contrarium, & cap. falſas (quod eſt Diui Gregorij) eadem diſtinct. In primo enim iniungitur pœnitentia militibus redeũtibus ad militiam poſt conuerſionem. In ſecundo vero exercitium belli affirmatur ſine peccato exerceri non poſse. D. Gregor.

Reſpondeo in prædictis iuribus non damnari militiam, ſed prauum vſum illius, quatenus eius occaſione, quidam milites multa facinora perpetrabant, & quia ipſis ex vitio eorum militia in ſcandalum vertebatur, prohibebantur milites eſse, & hanc eſse veram illorum iurium intelligentiam, ex eo apertè conſtat, quod in prædicto cap. falſas, poſtquã damnantur redeuntes poſt conuerſionem ad militiam, excipiuntur illi, qui ad defendendam iuſtitiam, ex conſilio Religioſorum Epiſcoporum, in militiam proficiſcuntur. Ad decretum autem ex Canon. Concil. Nicæni Reſpondeo cum Zonora, & Balſomone ſuper prædictum Canonem, & cum Rufino lib. 10. Hiſtor. c. 6. ibi ſolum prohiberi militiam illis, qui poſtquam fuerunt à Diocletiano militari cingulo priuati, ob conſtantem fidei confeſſionem poſtea repetebant illud, parati negare fidem. Concil. Nicæni. Zonora & Balſomon. Rufin.

Quinto obijciunt quaſdam rationes, ratio-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tionis tamen omnino expertes; aiunt enim bellum esse directè contra naturam, & contra charitatem: nam est contra pacem ad quam natura, & charitas maximè inclinant, vnde *bellum*, vt tradit Glosa super cap. 23. Numerorum dictū est, ironicè per antiphrasim, quasi bonum, & bellum non sit, sed turpe ad eum modum, quo Parcæ dicuntur, quia nemini parcunt, & lucus, quia non lucet, vel dictum est *bellum*, vt alijs placet à *Belluis*, quia bellantes, sese inuicem dilaniant, quod Belluarum proprium est, & à natura humana dissonum valde, & hinc est, quod Diuus Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 28. dicit quod *sicut mors vitæ, ita Paci Bellum videtur contrariari*. Et Diuus Thomas 2. 2. quæst. 29. art. 2. inter ea, quæ opponuntur Paci enumerat Bellum, ergo præsupponit non esse licitū, & maximè inter Christianos, inter quos oportet summam pacem vigere.

Glosa.

D. Augustin.

D. Thomas.

Respondeo, quod sicut potio amara sua amaritudine fastidium ingerit, est tamen medium ad sanitatem recuperandam, ita bellum licet molestum sit, & paci videatur aduersari, est tamen medium per se ad inducendam pacem ordinatum, vnde egregiè vt assolet Illustrissimus Belarminius de Laicis lib. 3. c. 14. in fi-

Ill. Belarm.

in fine, dixit: *Bellum sic paci opponitur, vt sit medium ad pacem, sed hoc interest inter bellum iustum, & iniustum, quod iniustum opponitur paci bonæ, & ducit ad pacem malam, & ideò tale Bellum vitiosum est: at Bellum iustum opponitur paci malæ, & ducit ad pacē bonam, sicut vulnera Chirurgi contraria sunt sanitati malæ, & imperfectæ, sed ad perfectum sanitatem perducunt.* Ad ætimologiam autem nominis belli Respondeo forsam *bellum* idem esse, quod *bonum*, & pulchrum (vt tradit Ambrosius Calepinus verb. *Bellus, la, lū*) quod si à *belluis* dictum est nihil officit, quia etiam in bello iusto oportet bellantes belluinam quandam feritatem induere ad irruendum in hostes, maximè Ecclesiam, aut Ecclesiastica iura lædentes. Sed ad huc obijcies, quia in moralibus illud censetur malum, quod regulariter, & vt in plurimum habet adiunctā malitiam, sed bello semper regulariter sunt adiuncta plurima mala, & detrimēta Reipublicæ: Ergo censendum est non esse licitum Christianis. Patet consequentia, quia actiones humanæ sunt iudicandæ, secundū quod regulariter, & vt in plurimum contingunt: Ergo cum ex bello regulariter, & vt in plurimum sequantur detrimenta in Republica;

Ambrosius Calepinus.

manifestè consequitur esse illicitum. Respondeo primo, quod si argumẽtum aliquid probaret, etiam conuinceret, non licere Christianis bellare contra Turcas, quod est error Lutheri: quia etiam propter tale bellum multa incommoda patitur Respublica. Deinde secundo Respondeo, quod quædam sunt actiones, quæ sunt malæ per se, & vt in plurimum; vt negatio depositi, quæ regulariter est mala; licet alias per accidens possit esse bona, vt si petatur in detrimentum alterius. Aliæ vero sunt actiones, quæ tametsi, vt in plurimum, & regulariter sint malæ, id tamen non habent ex natura sua, sed ex vitio subiecti, & tales recte honestari possunt propter alias circumstantias; Inter has ergo connumerari debet actio bellandi, quæ ex se peccaminosa non est, sed propter abusum militum, à quo possunt ipsi se abstinere, & licet regulariter non se abstineant, bellum tamen ipsum licitum est, ob propulsandum iniuriã, aut recuperanda propria, vel aliam similem rationem. Sed instat ad huc Erasmus. Arma militiæ nostræ spiritualia debere esse, iuxta Pauli sententiam ad Ephes. 6. Vbi Galea salutis, scuto fidei, & gladio spiritus pugnandum esse censet, quod & Ambrosius docuit lib.

Error Luth.

Erasmus.

D. Paul.

D. Ambros.

lib.de Viduis dicens: *Arma Ecclesiæ fides est, Arma Ecclesiæ oratio est, quæ aduersarium vincit*. Respondeo hæc oportet facere,& illa non omittere,pugnandum certè est orationibus, & precibus. Nam vt egregiè dixit insignis ille Machabæus: *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est*. Simul tamen ad reprimendam hostium insolentiam, oportet arma sumere, & bellum gerere, iuxta exemplum Moysis: nam ipso orante in monte,Iosue fortiter pugnans Amalechitarum exercitum superauit. Vltimo,& efficatius obijcio,quod punire aliquem pro peccato, est munus superioris: Sed vnus Princeps perfectus,non est superior alteri. Ergo non potest pro delicto suo illum punire, Vnde est regula iuris quod *par in parem non habet imperium*. Respondeo quod ratione delicti, princeps,qui alterum offendit, fit illi subditus, & alter acquisiuit ius supra illum in ordine ad iustam punitionem, Nam per delictum Princeps offendens fit dignus pęna, & consequenter fit subditus illi, ad quem pertinet illam pęnam infligere: iste autem in proposito, est ipse Princeps offensus. Sed contra quia punire, vt Iudicem prædicto modo non potest conuenire Princi-

1. Machab. 3.

Exod. 17. n.11.

pi aduersus alium Principem, cum sit contra ius naturale, eundem simul esse Iudicem, & actorem, & insuper à ratione valde alienũ est esse Iudicem in propria causa, & consequenter sumere vindictam de propria iniuria: Ergo tale bellum est iniustum, & confirmari potest. Nam ideo negatur particulari homini potestas ad vindicandam propriam iniuriam quia est euidens periculum morale, quod semper iudicabit vltra iustum, sed est idem periculum in Principe vindicante propriam iniuriam ergo &c. Respondeo ingenuè concedens quod Princeps ille inducens bellum, se gerit vt Iudex, & etiam vt actor quodammodo, & licet hoc repugnet in causis priuatis, tamen in causa publica non repugnat, nec est contra ius naturæ. Primo quia ipse Princeps delinquens contra quem geritur iustum bellum fuit causa illius belli, & non alia via est, nec aliud medium, ad exercendum illum actum iustitiæ vindicatiuæ, qui tamen valde necessarius est ad Reipublicæ conseruationem, & vniuersi pacem. Secundo quia licet ipse Princeps, ibi se gerat, vt Iudex, tamen semper vtitur in huiusmodi bello aliorum consilio, qui sine passione iudicabunt de iustitia belli, & de moderamine adhibendo, &

ideo

Digitized by Google

ideo periculum eſt hic multo minus, quam in vindicta particularis perſonæ: maxime quia ipſa poteſtas vindicatiua, & punitiua non eſt in perſona particulari, ſed in Principe, cui conuenit reſpicere commune bonum ad quod poteſtas ordinatur.

In Romano Pontifice reſidere ſupremam poteſtatem indicendi Bellum, tanquam in ſupremo Christianæ Reipublicæ Monarcha ex Theologico quodam, & receptiſſimo principio facilè deprehenditur. Cap. III.



Vm non paucæ conditiones requirantur ad iuſtum bellum gerendum, quas communiter tradunt tam Theologi, quàm Iuriſtę ex Diuo Thoma 2. 2. q. 40. Et Summiſtis verbo bellum, nimirum Authoritatem indicendi bellum, iuſtam cauſam, & intentionem rectã oportet ad exatam propoſiti argumenti tractationẽ de his omnibus ex profeſſo diſerere, adamuſſimq; ſingula manifeſtare, vt luce ipſa meridiana clarius pateat, omnes iuſti belli conditiones abunde concurrere in bello Romani Pontificis aduerſus Sacræ Liberta-

S.Thom. 2. 2. q.40.

tis

tis Violatores. In hoc ergo capite, vt distinctius procedamus, agemus de prima cõditione, in sequentibus de reliquis. Et quidem apud vniuersos Theologos, & Iurisperitos notissimum, & exploratissimum est authoritatem ad indicẽdum bellum aggressiuũ solum residere in Principe, Superiorẽ temporalem in suo Ordine, & Principatu, in Terra non habente. Nam si illum habeat infert ei iniuriam, indicendo bellum sine eius authoritate: quia tunc vsurparet ius superioris, & hinc est, quod lex, hostes. ff. de cap. & postlim. reuer. & lex hostes. ff. de verborum significatione. appellant prædones eos subditos Romani Imperij, qui propria authoritate bellum inferebant. Item sicut vnus Ciuis non potest esse aggressor contra alium Ciuem, sed debet pro iniuria sibi illata confugere ad Iudicem superiorem: sic Princeps habens supra se in suo ordine alium principem temporalem sibi superiorem, non potest esse aggressor in alterum Principẽ, absq; sui superioris permissu, sed debet adire Tribunal illius, vt talis causa pęnes ipsum terminetur. Deinde quia, si rem altius perpendamus, reuera bellum aggressiuum proprijssimè est actus Iustitiæ vindicatiuæ, immo, & om-

omnium huius virtutis ſupremus, cum in eo multentur homines grauiſſimis pœnis, nimirum expoliatione bonorum, ſeruitute, & frequenter morte. Vnde quando lib.4. Regum Nabuchdonoſor captum bello Sedechiam, & filios eius grauiſſimè puniuit, ait Sacer Textus *Locutus eſt cum eo Iudicium*: vel vt habet Hieremias cap. 39. & 52. *Locutus eſt ad eum Iudicia*, quæ verba manifeſte oſtendunt munus ſuperioris, & Iudicis iniurias vindicantis, atq; adeo actum Iuſtitiæ vindicatiuæ Igitur cum actus perfectus talis Iuſtitiæ, ſolum conueniat habenti publicam authoritatem, vt Iudici, prout tradit Diuus Thomas 2.2. q.108. ar. 1. Vbi id optime explicat Caietanus; manifeſte relinquitur, quod ſupremus actus Iuſtitiæ vindicatiuæ, qualis eſt bellum aggreſſiuum, ſolum ſpectare poteſt ad illum, qui habet in ſuo ordine ſupremam authoritatē publicam, cuiuſmodi eſt Princeps, non habens in Terra alium Principem ſuperiorem. Docent hanc Doctrinam Diuus Auguſtinus, vt habetur capite, quid culpatur 23. q. 1. Iſidorus capite 1. eadem cau. q. 2. Diuus Thomas 2. 2. q. 40. ar. 1. Vbi Caiet. Bannes, Aragon, & Valentia Adrianus de reſtit. q. quæ incipit: agredior caſus 9. Caſtrus.

4. Reg. 17. Hierem. D. Thom. D. Auguſt. Iſidorus. D. Thom. Caietan. Bānes Arag. Valentia. Adrianus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Augustini lib. 83. quæstionum, quod licet ibi non reperiatur, reperitur tamē 4. tomo lib. 6. veteris testamenti super Iosue q. 10. & habetur 23. q. 2. cap. Dominus noster, & capite Iustum, & patet etiam ex Diuo Isidoro 18. Etymologiarum, & ratione etiam probatur, tum, quia bellum offensiuū est ad vitandam iniuriam, & ad animaduertendum in hostes, vt docent præcitati Patres: vindicta autem, & animaduersio locum non habet, vbi non præcessit culpa, & iniuria; Tum quia non habet maiorem authoritatem Princeps supra extraneos, quam supra suos; sed in suos non potest gladium accipere nisi præcedente eorum culpa, ergo nec in extraneos idq; satis indicant verba Diui Pauli ad Romanos 13. Vbi loquens de Principe, ait: *Minister Dei est, vindex in iram ei, qui male agit. Igitur* aduersus eos, qui Principi nō nocent nō licet vti ira gladij. Nec refert quod olim Num. 13. Iudei debellauerint Cananæos, à quibus nulla vnquam eis fuerat illata iniuria, nam id fuit ex speciali Dei concessione qui, cum clauem vitæ, & mortis habeat, ac supremum omnium Dominium, liberè potuit ad id potestatem eis impertiri. Hoc supposito principio, licet multi Doctores innumeras Iusti

D. August.
D. Aug.
D. Isidor.
Num. 13.
Num.

belli causas referant; exactius tamen omnibus illis, eas in vnum congessit noster Lyra. Sacrarum literarum diligentissimus scrutator; Nam in Cõmentario super Numeros capite 31. ait *secundum autem quod iustum bellum inuenitur motum in Sacra Scriptura à pluribus causis. Vna est contra terram in qua Deus Blasphematur per idolatriam, vt habetur in Deuther. 12. subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes quas possessuri estis Deos suos. Secunda si à Dei cultu recedatur. Deut. 13. si audieris in vna vrbium tuarum dicentes aliquos &c. Tertia si fidelitas temporalis domini deseratur.* 4. Reg. 3. *de Ioram, & Iosaphat, qui mouerunt bellum contra Regem Moab. Quarta si rebellio moueatur, vt contra Sibam filium Bochri* 2. *Reg.* 20. *Quinta si malefactor defendatur, vt de bello moto contra Gabaa; Iud.* 20. *Sexta si iniuria publica Principi irrogatur de bello Dauid contra Regem Ammon, qui fecit radi barbas nuntiorum Dauid in contemptum eius,* 2. *Reg.* 10. *Septima si propria res repetatur, de bello Dauid contra Isboseth repetendo regnum quod sibi datum erat à Deo;* 2. *Reg.* 3. *Octaua, vt hostis repellatur de Bello Dauid contra Philisteos;* 2. *Reg.* 10. *Nona, vt hostis insurgens*

Lyra. Num. cap. 31. Deut. 12. Deut. 13. 4. Reg. 3. 2. Reg. 20. Iud. 20. 2. Reg. 10. 2. Reg. 3. 2. Reg. 10.

Digitized by Google

gens suis proprÿs opprimatur; de bello filiorum Israel contra Sebon, & contra Og Reges Amorreorum; Num. 20. Decima contra illum per quem hostis roboratur; de bello Dauid contra Syriam Damasci eo quod ferebat auxilium Aaadezer. Reg. 8. Vndecima, vt amicus ab hostibus eripiatur; de bello Abrahæ contra Reges qui captiuauerant Loth nepotem suum Genes. 14. Duodecima si Tyrannus à Præsidente exerceatur, vt de bello Machabeorum contra Antiochum Illustrem 1. Machabeorum 2. Hæc ille. Verum his causis à Doctissimo Lyrano enarratis alias ex eisdem sacris literis eis subnectere adnitar ad illustrãdum præsens argumentum, & quidem in primis, vt à causis iusti belli minus vrgentibus, licet ad id sufficientibus exordiamur, vt inde ad maiores, & grauiores gradum faciamus: nemo sanè est in Theologia aut Iurisperitia mediocriter eruditus, qui ignoret honestam causam Iusti belli esse, quod Princeps, vel Respublica iniustè defendat eos, qui ob facinora patrata, acri ac iusta punitione multari merentur. Hac enim de causa iustum ab omnibus iudicatum est Iud. 10. Bellum vndecim Tribuum Israel, aduersus Tribum Beniamin, eo quod conati sunt defendere habita-

Num. 20.
2. Reg. 8.
Genes. 14.
1. Machab. 2.
Iud. 10.

tores Gabaa,ne punirentur propter ingens illud scelus, quo vxorem viri leuitæ tam incredibili libidine vexarunt, vt animam efflare cogerent, & Diuus Augustinus lib. 6. quæstionum q. 10. dixit iustam belli causam esse *quando gens vindicare negligit quod à suis improbè factum est:* Cum ergo contigerit Principes, aut Rempublicam aliquam impedire ne Romanus Pontifex,& Ecclesia Catholica Sacrorum Canonum Violatores, aut de fide Catholica perperã sentientes, aut quoscunq; alios quomodolibet illam lędentes punire possint: apertè efficitur hanc esse sufficientem causam ad bellum illis indicendum. Ne autem ipsi infirmare moliantur Iustitiam huius causæ, dicentes Iuste se defendere omnes supradictos, ne puniantur quia sæpe contigit delinquentes id fecisse in defensionem Patriæ, quod maximè laudabile est. Respondeant quæso, an defensio Patrię defensioni Ecclesiæ Catholicæ; aut tuitio libertatis Tyrãnicæ, tuitioni Sacræ Libertatis præferenda, aut anteponenda sit? Primum neutiquam crediderim concessuros, quia Hæreticum planè est; si secundum; iniustos se transgressorum defensores ingenuè fateri opus erit. Deinde licet daremur (quod falsissimum

D. Augustin.

Digitized by Google

mum est) illos defensorum Patriæ nomine insigniendos, nunquid patria erroribus aduersus sanam Doctrinam, & Catholicam fidem insurgentibus defendenda est? minimè gentium. Igitur iniustè illos, nè iuste puniantur impediunt; adq; hæc sit prima causa iusta belli, cui secundã similiter exemplo Sacræ Scripturæ roboratam subiungam. Nam Principem, aut Rempublicã aliquam, violare fidem datam, aut pactum infringere aduersus alium Principem: Iusta causa censeretur ad bellum indicendum contra Violatorem fidei, aut pacti in re graui. Hac enim ratione iustum fuit bellum Regis Ioram aduersus Masain Regem Moab. 4. Reg. 3. eo quod violasset pactum, nolens soluere agnorum centum millia, & totidem arietum, cum velleribus suis, quæ quot annis soluere tenebatur, huiusq; belli iustitiam, manifestè testata fuit miraculosa victoria diuinitus tunc concessa. Cum ergo Princeps vel Respublica fidem datam Ecclesiæ fœdusq; cum illa initum de nunquam præiudicando immunitati, & libertati Ecclesiasticæ, violauerit: hæc sanè iusta causa censenda est ad indicendum bellum. 4. Reg. 3.

Prosequimur easdem Iusti belli Causas alias plures ex sacris literis expendentes ob quas licet Romano Pontifici indicere bellum.
Caput. V.



Vamuis causæ huc vsq; à nobis explicatæ iustitiam belli ex parte Romani Pontificis haud obscurè ostendant, alias tamen vrgentiores ex eisdem sacris literis petitæ nobis in mediū producendæ sunt, quarū vna est eamq; iustissimā censent noster Castro 2. de Iustitia hæreticorum punitione cap. 14. Victoria in relectione de Indijs Insulanis par. 2. in princ. Couarruuias, Regula peccatum. par. 2. §. 9. n. 5. & alij per multi ab eo relati, nimirum quando Princeps vel Respublica negat ea, quæ iure gentium, aut Iure communi omnibus licent. Nam talis denegatio, vtpote iniusta, iniuriam infert ei, cui talia denegantur. Vnde vel ad eam propulsandam, vel postquam illata fuerit vindicandam, poterit interdum moueri Iustum bellū. Cæsar namq; eo quod Senatus aditū sibi in Romā denegasset apud Lucanum rectè dixit.

Castro.

Victoria.

Couarru.

Viri-

Digitized by Google

Viribus vtendũ est, quas ferimus arma teñẽti Lucanus.
Omnia dat, qui iusta negat, ...

Quia ergo transitus sine nocumento per vnã regionem in aliam, Iure gentium est omnibus debitus: Iustum fuit bellum filiorum Israel (Numer. 21. aduersus Seon Regem Amoreorum, propterea quod illis denegasset transitum per terram suam, filijs Israel ingenuè promittentibus, nihil nocumenti suis Vineis, aut agris illaturos, sed via regia sibi fore incedendum, donec fines illius regionis pertransirent. Eandemq; causam approbat D. Augustinus quæstione 44. super Numeros; Et habetur Capite Notandum 23. quęstione 2. Vbi hæc verba legimus. *Notandum sanè est quemadmodum iusta bella gerantur à filijs Israel contra Amoreos: innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat.* Hæc ibi: si ergo contingar denegari Ecclesiæ, aut personis Ecclesiasticis id, quod iure communi debetur; certè talis denegatio, iusta censetur causa, vt Romanus Pontifex bellum iustè indicere possit.

Numer. 21.

D. Augustin.

Porro ad aliã non minus vrgentem, & iustam belli causam, quam præcedentem accedamus. Hæc sanè est rebellio, & contuma-

Digitized by Google

cia ſubditorum contra Dominum, dum iu-
ſtis eius mandatis acquieſcere obſtinatè re-
cuſant, tunc enim huiuſmodi bellum directè
ordinatur ad recuperandam obedientiam in-
iuſtè denegatam, & ea quæ cum prædicta
obedientia, & ſubiectione coniuncta ſunt;
hac enim ratione Dauid bellum geſſit aduer-
ſus Abſalonem, nec non aduerſus Saba fi-
2. Reg. 20. lium Sochri 2. Reg. 20. Vnde D. Auguſti-
D. Auguſtin. nus capite *quid culpatur* 23. q. 1. hæc verba
habet *Aduerſus violentiam reſiſtentium siue
Deo, siue aliquo legitimo imperio Iubente,
gerenda ipſa bella ſuſpiciuntur à bonis, cum in
eo rerum humanarum ordine inueniuntur,
vbi eos, vel iubere aliquid, vel in talibus obe-
dire iuſtè ipſe ordo conſtringit.* Hac ergo
ſtante Doctrina ex Sacra ſcriptura, & Diuo
Auguſtino comprobata, haud difficile erit
colligere, quam iuſtum ſit bellum Romani
Pontificis aduerſus eos, qui Apoſtolica man
data cõtempſerint cenſuras contra eos latas
tanquam inualidas, & nullas inuerecunde
proclamarint, Apoſtolicum interdictum non
obſeruari vel Romanum Pontificem ſolum
meram ſpiritualem habere Iuriſdictionem
ſuper Eccleſiam dogmatizarint. Quæ ſa-
ne Doctrina tanquam ſciſmatica ſubtrahit
Pon-

Pontificis indirectam Iurisdictionem temporalem in ordine ad finem supernaturalem super omnes Principes Christianos (quem nullus Doctor Catholicus negat, licet de directa sit controuersia), & consequenter tolit obedientiam, & debitam ab eis subiectionem Romano Pontifici in rebus temporalibus quantum opus fuerit ad promouendum illos in eundem finem supernaturalem. Ad recuperandam ergo hanc obedientiam Sedi Apostolicæ debitam, & iniustè denegatam, Iustum sanè est bellum Romani Pontificis aduersus omnes prædictos.

Aliam deinde causam Iusti belli arbitrantur communiter Doctores quando fit notabilis iniuria, aut magna aliqua infertur contumelia Principi, aut Reipublicæ, hac enim ratione 2. Regum 10. vt bene notauit noster Nicolaus de Lyra vbi supra, iusta belli causa fuit quod nuntijs ab ipso Dauide amicitiæ causa ad quendã regem salutandum missis, in maximam Regis, & nuntiorum Contumeliam, ille dimidiam eis barbæ partem raserit vestesque medias ad nates vsque præcedirit. Vnde Augustinus lib. 6. quæstionum q. 10. & habetur capite *Dominus 23.* dixit: *bella iusta diffiniri solere, quæ vlcis-*

2. Reg. 10. Nicolaus de Lyra.

D. Augustin.

vlciscuntur iniurias & cetera. Quare si contingat (quod Deus auertat) factis aut dictis Ecclesiam, aut Romanum Pontificem, vel eorum mandata iniurijs, aut contumelijs impeti, aut quomodolibet lacerari, certe Doctores omnes vnanimi consensu iustam hanc arbitrantur causam ad hoc, vt Romanus Pontifex indicere possit bellum.

Aliā deinde eāq; notissimā Iusti belli causam vnanimi consensu tradunt Doctores, cum bellum geritur ad occupandum, & recuperandum bona, quæ Principi debentur, cū aliter obtineri non possunt, quam mediante bello. Hac enim de causa post mortuum Saulem Rex Dauid bellum mouit 2. Reg. 3. aduersus Isboset filium Saulis, eo quod iniustè occupauerat Regnum Israel, quod Deus Dauidi liberaliter donauerat. Vnde Diuus Augustinus lib. 6. quæstionum q. 10. dixit, *Iustum bellum esse cum non redditur quod per iniuriam ablatum est.* Et Diuus Isidorus cap. 1. 23. q. 2. *Iustum* (inquit) *esse bellum quod ex edicto geritur de rebus repetendis*, & hinc est quod tertio tomo Conciliorum inter rescripta Nicolai Papę, & refertur 15. q. 6. cap. 2. §. quin etiam Episcopis Galliæ hæc verba habentur. *Quin etiam præfato Fratri*

2. Reg. 3.

D. Augustin.

D. Isidorus.

Concil. tom. 3.

Fratri nostro, filijsq; Treuerensis Ecclesiæ illiusq; defensoribus hæc in mandatis damus, vt spirituali simul, & materiali gladio tamdiu malignos illos, eorumq; fautorem insequantur quousq; cum integritate possessiones, vel quæcunq; res Ecclesiasticæ hoc facto, vel quocunq; pacto distractæ, seu direptæ sunt reuocentur. Ex quibus omnibus apertè efficitur, quod cum Princeps, vel Respublica Ecclesiasticam iurisdictionem vsurparit incarcerando & puniendo personas Ecclesiasticas, suæ potestatis, & priuilegiorum terminos transiliens, aut Ecclesiæ possessiones, quæ ad Christi Domini patrimonium pertinent vsurparit, aut tandem publica decreta statuta, vel leges condiderit in iacturam Ecclesiasticæ libertatis vergẽtia: apertè inquam efficitur ex his omnibus iustum esse bellum Rom. Pont. ad recuperandum, quod à talibus sacræ libertatis violatoribus iniustè occupatum, & ablatum est Ecclesiæ Dei, cuius ipse summus Pastor, & Rector est, *ne* (prout habetur 24. q. 8. cap. *si nulla*) *Deum videatur tentare, si suæ, ac aliorum saluti consulere non procurat; & sanctæ religionis detrimenta non præcauet*. Vnde meritò Romanus Põtifex sibi vsurpare poterit verba illa Augustini ad D. August.

ni ad

ni ad Petilianum,& habetur 23. q. 4. capite *qui peccat. Cũ impiè feceritis nõ mereamini, si non desunt ministri Dei, per quos flagellamini, quia persecutionem patimini nõ à nobis sed (sicut scriptum est) ab ipsis factis vestris.*

Tandem, vt huic capiti finem iam imponamus: ex Iure Canonico constat, iustam causam præliandi esse, iustarum legum defensionem. Ita enim habetur 23. q. 8. cap. *si nulla*, vbi hæc verba legimus: *Non solum quadragesimali tempore; sed etiam omni tempore est à prælijs abstinendum, si autem ineuitabilis vrget importunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quàm Patriæ, seu legum paternarum est bellorum præparationi proculdubio parcendum.* Cum ergo ad Summum Pontificem potissimum pertineat sacræ libertatis leges defendere, nec vlla ratione pati Ecclesiasticam immunitatem lædi, aut minui, & multo magis de medio tolli; manifestum est bellum ad prędictam defensionem iustum esse, cum aliter id obtineri non possit; prout experientia non posse sæpè compertum est, quandoq; enim contingit quosdam adeo esse obstinatæ mentis & iniustæ libertatis amatores, vt nec Apostolicis censuris irretitos, & alijs Ecclesia-

sticis

Digitized by Google

ſticis pœnis vexatos, Nec Romani Pontificis eorum ſalutis ardentiſſimo zelo extuantis ſalutaribus, ac paternis conſilijs admonitos, parere vnquam velint, & à malè inchoatis, religiosè deſiſtere. Atq; his aliam non minus vrgentem cauſam ſubiungere placet, nimirum. Summum Pontificem tanquam ſupremum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem teneri cuiuſcunq; Reipublicæ ſpirituali ſaluti conſulere, atq; adeò tanquam Iudicem, quantum ad prædictum finem opus fuerit, illam mulctare, caſtigare, & per ſpiritualia pariter, & materialia arma, priſtinæ obedientiæ reſtituere, & ad meliorem frugem, quantum ſibi poſſibile fuerit reuocare, vel ſaltem eã vlla ratione impunem abire non ſinere. Atq; hanc vltimam eſſe iuſtam belli cauſam prætèr quàm quiſq; mediocri rationis lumine illuſtratus probe agnoſcere poterit, cum ratio ipſa naturalis id doceat, clarè etiam id ipſum oſtenditur Deuth. 13. vbi habentur hæc verba. *Si inueneris certum eſſe, quod dicitur, & abominationem hanc operæ perpetratam, ſtatim percuties habitatores Vrbis illius in ore gladij, & delebis eam omniaq;, quæ in illa ſunt vſq; ad pecora*. Hæc ibi: ecce bellum motum non alio nomine, quam quod nocen- Deuth.

tes

tes impunes non abirent, ſimiliaq; exempla frequenter reperiet, qui ſacras literas parumper lectitauerit: fateor tamen ad iuſtificandum vſum prædictarum cauſarum, ſeu (quod idem eſt) ad inducendum bellum propter prædictas cauſas, opus eſſe, vt prius Romanus Pontifex inimicos moneat, quod ſi reſipiſcere nolint, contumaceſq; perſtiterint Apoſtolicis præceptis non parentes, & ſacræ libertatis iura violantes, ſe non ſolum eos ſpiritualibus, ſed & materialibus armis fore expugnaturum; prout ex profeſſo latè dicemus cap. ſequenti.

Tam ex Sacris literis, quam Gentilitijs priſcorum Romanorum exemplis, opus eſſe palam fit, Romanum Pontificem debellandis, prius pacem offerre si reſipiſcere velint; sin minus, armis eos debellaturum prædicere. Cap. VI.



TA planè obſeruandum eſſe Sacræ, & profanæ literæ, & ratio ipſa teſtantur. Nam in primis Deuth. 20. dicitur: *Si quando acceſſeris ad expugnandam Ciuitatem offeres*

Deuth.

ei

ei primum pacem. Similiter etiam fecisse legimus filios Israel cum Beniamin. Iud. 20. *Et miserunt* (inquit Sacer Textus) *nuncios ad omnem Tribum Beniamin, qui dicerent; cur tantum nefas in vobis repertum est? tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israel, qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum.* Hæc ibi. Quibus omnibus consonant quæ tradit Iosephus antiquitatum Iudaicarum lib. 4. cap. 8. propè finem, vbi ait: *Cum bellum instabit, caduceatores primum ad destinatos hostes sunt mittendi, decet enim ante arma verbis ad eos vti, docendo quod quamuis, & copiæ vobis adsint numerosæ, & equi, & arma, & super omnia Deus auxiliator propitius, mauultis tamen non cogi ad bellum, neque ex rebus illorum direptis ingrata lucra quærere. Et si quidem quod æquum est persuaderi sibi patiantur, præstat pacem inuiolatam seruare: quod si plus suis viribus tribuentes, ius in armis reponant, exercitum contra eos educite.* Hæc illæ. Sic etiam factũ fuisse per Principes Græcos Menelaum, & Vlyssem, qui Troiam miserunt ad repetendam Elenam antequam diutinum illud in-

Iud. 20.

Ioseph. antiq. Iud.

Digitized by Google

Homerus. choarent bellum scribit Homerus. Id ipsum inuiolatæ obseruarunt Antiqui Romani; prout tradit Antonius Valtrinus de re militari lib. 1. cap. 5. vbi ait *cum igitur Gens aliqua fines Populi Romani, aut Sociorum Populi Romani inuasisset, aut Ciuem Romanum sociosue populi Romani iniuria affecisset, antequam bello iniurias persequerentur, legatos Romani mittebant, qui res ablatas repeterent, eosq; qui fecissent deposcerent, quæ si hostes præstabant bello abstinebant, sin minus armis ius suum tuebantur bellumq; indicebant.* idque probat ex Varrone lib. 11. de vita Pop. Romani apud Nonium: nam illo teste, priusquam Romani indicerent bellum ijs, à quibus iniurias factas sciebant, Feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant. Idem tradit Liuius lib. 4. dicens. *Tunc quoq; ne confestim bellum indiceretur religio obstitit, Feciales prius mittendos ad res repetendas censuere,* Idem etiam Antonius Valtrinus de re militari lib. 1. cap. 9. hęc refert ex Liuio *postquam Pater patratus mandata exposuisset, dies tres & triginta expectabat, intra quos si non reddebantur, quæ exposcebat tunc is reuertens: Audi Iuppiter (inquit & tu Iuno, Quirine dijsq; omnes cæle-*

Antonius Valtrinus. Varron. Nonius ex Varrone. Liuius lib. 4. Anton. Valtr.

stes

stes vosq; terrestres, vosq; inferni audite. Ego vos testor populum illum iniustum esse, neque Ius persoluere, sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Hæc illæ. Cæremonias autem, quibus olim Romani prius bellum indicebant, refert idem Liuius lib. 1. *Fecialis* (inquit) *hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum ferebat, & non minus tribus puberibus præsentibus, dicebat: Quod populi priscorum Latinorum hominesue prisci Latini aduersus Populum Romanum: Quiritium fecerunt deliquerunt, quodq; Populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, Senatusque populi Rom. Quiritium censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego Populusq; Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusq; priscis Latinis bellum indico, facioque id. Vbi dixisset hastam in eorum fines emittebat.* Hæc Liuius, quæ eadem ferè ex Cincio refert Gellius lib. 16. cap. 4. nomine dumtaxat populi commutato. Ad hanc hastæ iaciendæ consuetudinem, authore Seruio, respexit Virg. lib. 9.

Liuius lib.

Gellius ex Cincio.

Seruius commento in Vir.

En ait, & iaculũ intorquẽs immittit in auras.
Principium pugnæ ....

Turnebus lib. xi. cap. 17. & lib. 8. c. 23. Aduers.

Hastam autem sanguineam, quam à Feciali in hostium fines emissam Liuius ait; quidam ita putant appellatam, quod è sanguineo frutice, vel arbore esset, & quod coloris erat cruenti, idcirco ea ad bellum indicendum Feciales vsos: alij, quod cuiuscunq; demum ligni hastile haberet, sanguine cruentaretur. Vnde Marcellin. lib. 19. de Persis Amidã obsidẽtibus *vix vbi Grumbates hastam infectã sanguine vrit patrio, nostriq; more coniecerat Feciali armis exercitus concrepans inuolat in muros*. Hanc bellorum indicendorum consuetudinem ita interpretatur Liuius lib. 31. vt necesse non fuerit, ad intima regni, regemq; ipsum, cui bellum indicebatur penetrare: sed satis esset primo oppido nunciare: *Consulti Feciales* (inquit) *bellum, quod indiceretur regi Philippo, vtrum ipsi vtiq; nunciari iuberent an satis esset, in finibus regni, quod proximum præsidium esset, eo nunciari: Feciales decreuerunt vtrum eorum fecisset, rectè facturum*. Tandem ratio ipsa propositam assertionem confirmat, nam vt rectè dixit D. Augustinus 23. quæst. 1. *Pacem habere, voluntatis est; bellum verò, necessitatis*: Ergo prius debet Pontifex tentare media conuenientia, vt sacræ liber-

Liuius.

D. August.

tatis

atis violatores ſatisfaciant iniurijs Pontifi-
:i,& Eccleſiæ factis, quod ſi noluerunt: tunc
quaſi neceſſitate cogente indicendum erit il-
is bellum. Ita etiam communi conſenſu tra-
dunt Theologi 2. 2. q. 40. art. 1. cum Molina Theologi.
de Iuſtitia, & Iure tract. 2. diſputatione 100. Molina.
Quibus omnibus addo ex eodem, quod vt re-
ctè adnotarunt Driedo lib. 2. de libertate Driedo 2.
Chriſtiana cap. 6. Caietanus 2. 2. q. 40. art. 1. Caietan.
Gabriel in 4. diſt. 15. q. 4. art. 1. Actor ſequi- Gabriel. 4.
tur forum rei, & ideo Princeps Reipublicæ,
quæ damnum eſt paſſa, non aliter ſubit ratio-
nem Iudicis comparatione illorum malefa-
ctorum, quam in defectu iudicis proprij ip-
ſorum, qui eos puniat, & cogat reſarcire dã-
na. Quod ſi Reſpublica admonita, præſta-
re non voluerit, quod tenetur, tunc non
ſolùm aduerſus malefactores ipſos, ſed
etiam aduerſus Rempublicam fas erit moue-
re bellum eo, quod in culpa ſit non punien-
do ſuos ſubditos, & non cogendo illos reſar-
cire damna, vt ex officio tenetur.

Argumenta quædam diluuntur, quibus aduersarij probare contendunt, nunquam expediens esse, Romanum Pontificem, bellum gerere, aduersus Sacræ Libertatis Violatores. Caput VII.



N primis illud quidam maximè Politici summopere vrgere arbitrantur, quod si æquo iustoq; lance fiat ponderatio, & collatio inter damna quæ ex tali bello emergere necesse est, & mala, quæ orientur ex eo, quod sacræ libertatis violatores Ecclesiæ iura vsurpare permittantur: mirum in modum grauiora illa censenda erunt, quam ista. Nam ex prædictis Iuribus violatis solum quædam incommoda pateretur Ecclesia, non vniuersaliter, sed apud eos dumtaxat, quæ illa violant, quod sanè tametsi cuiusdam mali speciem præ se ferre videatur, ex priuilegio tamen ipsius Pontificis, quod impendere sibi facillimum est, omninò cohonestatur, & sic omnis concertandi occasio, & periculum aliorum quæ imminent malorum, penitus de medio aboleretur, &

Prin-

Digitized by Google

Princeps aut Respublica illa aduersus Pontificem non irritaretur. Hoc est aduersariorum Achilles, sed facilè vincemus hunc fortem Achillem si egregiæ illius Gregorianæ sententiæ meminerimus: *vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur,* sed audiant etiam quæso si placet Diuum Bernardum ad Eugenium sic scribentem. *tibi data est omnis potestas, & qui totum dicit, nihil excludit, sed cogita vtrum omnia concedere debeas, quod si non debes, serua modum, vt iustificeris cum iudicaris.* Hæc illæ. Quis autem nisi hæreticus dicet, oportere Romanum Pontificem, omnibus, quæ sacræ libertatis violatores postulant acquiescere, & omnibus eorum petitionibus annuere, cum sæpè contingat multa ab eis postulari, & rationi valde dissentanea, & sacris Canonibus omnino aduersaria. Vnde Diuus Bernardus loco præcitato cum obseruasset nescio quas imperatorias leges custodiri, à Christianis legibus nonnihil discrepantes, Eugenio Pontifici Maximo dixit. *Vt quid in Palatio tuo leges Iustinianæ garriunt, & tuæ Christianæ silent?* Bernardus igitur qui Iustinianas leges, sic execrabatur, quid non eas perosceret sacræ libertatis violatrices si

D. Gregor.

D. Bernar. ad Eugenium.

D. Bernard.

enim præ timore prædictorum incommodorum dissimulanda essent à sacris Pontificibus, quæ aduersus ipsorum auctoritatem, & Romanæ Ecclesię indemnitatem fiunt, audaciores certè redderentur sacræ libertatis violatores eorumq; insolentia mirum in modum excresceret, & Romani Pōtificis auctoritas,& Ecclesiasticæ libertatis diuinitus data exemptio, non solum indies in deterius iret,sed si fieri posset tandem periret, ac penitus de medio tolleretur. Ne ergo Ecclesia Dei in hanc tantam suorum iurium iacturam veniat,non solum expediens, sed quandoq; necessarium est Pontificem Romanum aduersus eius impugnatores,gladium stringere, prout olim fecerunt non pauci Pontifices.

D. August. Cæterum aduersus hæc obijciunt aduersarij D. Augustinum contra Epistolam Parmeniani, & habetur 23. q. 4. cap. cum quisquam, vbi hæc verba legimus. *Cum quisquā fratrum, & Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum,in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc,vbi periculum schismatis nullum est*. Et infra. *Quando cuiusquam crimen est notum, & omnibus execrabile appareat, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat*

beat

beat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ. Hæc ibi. Ex quibus apertè colligitur, quod cum in casu aliquo schismatis periculum sit apud aliquam Rempublicam non solum gladio materiali, sed nec spirituali ferienda esset iuxta mentem D. Augustini; Vnde D. Thomas 2.2.q.43. art.7. *ad primum* ait *dicendum, quod pœnarum inflictio, non est propter se expetenda, sed pœnæ infliguntur, vt medicinæ quædam ad cohibenda peccata, & ideo in tantum habent rationem Iustitiæ, in quantum per eas peccata cohibentur. Si autem per inflictionem poenarum manifestum sit plura, & maiora peccata sequi, tunc pænarum inflictio non continebitur sub iustitia, & in hoc casu loquitur Augustinus in lib. contra Epistolam Parmeniani quando scilicet excommunicatione aliquorum imminet periculū schismatis; tunc enim excommunicationem ferre non pertinet ad veritatem iustitiæ*. Hæc illæ. Respondeo hanc Doctrinam intelligendam esse quando aliunde non manifestè imminēt alia maiora detrimenta, quam sit vnius communitatis schisma: maius autem detrimētum est, quod Romani Pontificis authoritas, & sacra libertas labefactetur, quàm quod integra

D. Thomas.

Digitized by Google

gra etiam prouincia ſcandalum paſſiuum ſchiſmatis patiatur: Vnde ipſemet D. Thomas quæſt. ſupra citata artic. 8. in corpore ait: *Reſpondeo dicendum, quod circa temporalia bona diſtinguendum eſt; aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro alijs commiſſa ſicut bona Eccleſiæ committuntur prælatis, & bona communia quibuſcunq; Reipublicæ rectoribus, & talium conſeruatio ſicut & depoſitorum, imminet his quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate, & ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda, ſicut nec alia quæ ſunt de neceſſitate ſalutis;* Et infra ait: Vnde Auguſtinus lib. 1. cap. 4. parum à principio tom. 4. in lib. de ſerm. Domini in Monte dicit. *Dandum eſt quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi poteſt. Et cum negaueris, quod petit, indicanda eſt ei iuſtitia & melius ei aliquid dabis cum petentem iniuſtè, correxeris. Aliquando vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum, & propter eos qui ſcandala concitant non ſunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occaſio, & noceret rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent, vnde Gregorius dicit in Moral. Quidam*

D. Thomas.

D. Auguſt.

D. Gregor.

dum

dum temporalia à nobis rapiunt solummodo sunt tolerandi: quidam verò æquitate seruata probibendi, non sola cura ne nostra subtrahantur, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Hæc omnia habet Diuus Thomas ibi.

Secundo principaliter obijciũt quia Sacri Canones frequenter monent Prælatos Ecclesiæ, vt in gratiam pacis conseruandæ, non semper vindictam in eos, qui peccant exerceãt, sed patienter eos tolerent vnde 23. q.4. cap. quid ergo dicitur: *Quid ergo voluit Dominus noster Iesus Christus fratres Charissimi admonere Ecclesiam suam, quãdo vnum perditum inter duodecim habere voluit, nisi vt toleremus, ne Corpus Christi diuidamus?* Et infra cap. Ecce legimus: *Ecce (dicit Propheta) recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire, & recedere iubemur ne tangamus immundum? nos istam recessionem spiritualiter intelligimus illi corporaliter*. Et infra: *Quid est autem exire inde nisi facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro vniuscuiusq; gradu atq; persona (salua pace) fieri potest*. Sed correctio mediante bello non potest fieri salua pace, ergo

D. Greg. ergo cessandum est ab ea. Et Diuus Gregorius ibidem capite hæc autem ait *Ex his omnibus colligitur quod malorum vindicta Deo reseruanda est nec sunt corporaliter puniendi sed crebra admonitione, & charitatis beneficio ad correctionem inuitandi* Et ibidem cap. *ipsa pietas* Diuus Augustinus ad Bonifacium ait: *In huiusmodi causis in quibus pergraues dissensionum scissuras, non huius, aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages iacet, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis sincera charitas subueniat* & cap. *non potest.* eadem causa, & quæstione Diuus Augustinus ait *Reuera cum contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, & plus perturbant infirmos bonos quam corrigant animos malos,* Vnde Diuus Ambrosius, & habetur eadem quæstione cap. quod Christus sic ait: *Quod Christus discipulos suos increpauit quia ignem de Cœlo descendere super eos gestiebant qui ipsum non receperant ostenditur nobis non semper in eos, qui peccant vindicandum, quia non nunquam amplius prodest Clementia tibi ad patientiam, quam lapso ad correctionem.* denique

D. Aug.

Cap. non potest.

D. August.

D. Ambros.

niq; Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur Et 23. q. 5. loquens de quibuſdã ſceleratiſſimis hominibus. hæc ſcribit Diuus Auguſtinus Comiti Marcelliano: *Mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt, ne forte ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeueritate eſſe plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur, ideoq; his literis abtestor fidem tuam quam habes in Christo; per ipsius Domini Nostri miſericordiam, vt hoc non facias, nec omnino fieri permittas, & infra* ſubdit: *Imple Christiane Iudex, pÿ patris officium, sic ſuccẽſere iniquitati memineris, vt non in peccatorum atrocitatibus exerceas vlciſcendi libidinem, ſed peccatorum vulneribus curãdi adhibeas voluntatem*: Ac tandem ait *non extenſo aculeo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flãmis procedendum eſſe*. Accedit ad hæc quod in Summo Pontifice, & vniuerſaliter in omnibus Eccleſiaſticis Prælatis elucere debet maximè lænitas, benignitas, & clementia erga ſubditos, vt grauiſſimis verbis commendat Concilium Tridentinum ſeſſione 13. de reformatione cap. 1. Vbi alloquens Prælatos ait *illud primum eos admonendos cenſet* (ſcilicet Sancta Synodus) *vt ſe paſtores non percuſſores eſſe meminerint,*

D. Auguſt. Comiti Marcel.

Conc. Trid.

atq;

atq; ita præesse sibi subditis oportere, vt eis non dominentur, sed illos tanquam filios, & fratres diligant elaborentq; vt hortando, & admonendo, ab illicitis deterreant Et infra addit rationem. *Cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam authoritas: plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit tunc, cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium cum lænitate seueritas adhibenda est.* At non solum Censuris, Ecclesiasticæ libertatis violatores vexare, sed insuper eos armis debellare, redolet austeritatem, & nimium rigorẽ: ergo non decet Pontificem huiusmodi bellum indicere. Verum ad hæc facile respondetur, his omnibus testimonijs solum conuinci quandoq; attentis certis circumstantijs consultius esse gladium in vagina continere, non tamen negatur quandoq; etiã expediens esse, immo, & necessarium, illum stringere, quod sanè haud difficile erit probare, si sacras literas, & Patres consulamus: immò, & testimonium nuper citatum Concilij Tridentini nobis fauet, quia sicut in prioribus illis verbis monet Prælatos esse mansuetos, ita etiam in sequentibus suadet quandoq; seueros,

Concil. Trid.

ros,

ros,& rigidos esse debere ait enim *diligentis & pÿ simul Pastoris officium esse, morbis ouiũ lænia primum adhibere fomenta, post vbi morbi grauitas ita postulet, ad veriora, & grauiora remedia descendere*. Non inficior sane iustitiam, & seueritatem benignitate temperãdam esse idq; maxime decere Principes, & Prælatos, quod probè intelligens Henricus Quartus in sua insignia, & stemata malum granatum accepit cum hac inscriptione *sub acre*, quod italicè *mezo sapore* Hispanice *agri dulce*, dicitur, significãs huiusmodi Simbolo acrimoniam Iustitiæ, cum misericordiæ dulcedine coniungendam esse: nihilominus tamen quandoq; opus est, omissa hac dulcedine, & lænitate, rebelles, & contumaces non solum spiritualibus pœnis, sed, & temporalibus supplicijs afficere iuxta illud Psalmi 2. Reges eos in virga ferrea, vnde sacra narrat Historia quod Heli filios suos spiritualiter increpauit, *Quare facitis rem hanc*? sed quia eos nõ puniuit iratus Deus *suscitabo* (*inquit*) *omnia quæ locutus sum super domum eius eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non increpauit eos*: placet ergo mansuetudo Deo, & non displicet ira illa, cuius meminit Regius Vates. *Irascimini, & nolite peccare*. Vnde Ec-

Henric.4.

Psal.2.

1. Reg.3.

Ecclesiast. 46. Eccles. 46. cũ ageret de rebus à Iosue præclarè gestis *An non* (inquit) *in iracundia eius impeditus est Sol?* quasi diceret adeo gratam fuisse Deo eius iracundiam, vt Deus ipse Solis, & Lunę cursum retardaret, donec Iosue hostiũ copias pęnitus opprimeret. *Ste-*
Iosue. 10. *terunt* (inquit Sacer Textus) *Sol, & Luna*
Num. 25. *donec vlcisceretur se*. Phinees etiam simili iracundia percitus fornicarios quosdam gla-
Exod. 23. dio confodit. Eadem etiam cõmotus Moy-
2. Reg. 18. ses tria, & viginti hominum millia vno die trucidauit, ac etiam Samuel Amalechitarũ Regem in minutissima frustra comminuit. Hac Elias quadringentos, & quinquaginta Sacerdotes iugulauit eo quod impio Baal hostias mactarent, qui *hac tanta internecio-*
D. Basilius. *ne non contentus* (vt ait Diuus Basilius homil. 10. de ira) *alios quadraginta interfecit Iezabel Reginæ valde affines:* quibus omni-
Budeus. bus consonat satis illud quod tradit Budeus ex peritissimis Rabbinis in tabernaculi cortinis permultas fuisse fundas depictas, vt cum Sacerdotes Populi Pastores, illuc ingrederentur, animaduerterent suum esse munus lupos, a grege diligenter arcere, hoc.n. valde cedit in vtilitatem totius gregis: quæ omnia paucissimis verbis perstrinxit textus in capi-

te

te Legi 23. q. 8. Vbi Diuus Hieronymus ad Riparium ait *Legi Siromaſten* (hoc eſt vindictam) *Phinees, auſteritatem Heliæ, Zelum Simonis Cananei, Petri ſeueritatem, Ananiã & Zaphiram trucidantis, Pauliq; conſtantiã, qui Elymam Magum, vijs Domini reſiſtentem, æterna cæcitate damnauit. Non eſt Crudelitas crimina pro Deo punire, ſed pietas.* his omnibus conſonat illud Auguſtini ad Vincentium Donatiſtam, & habetur capite nimium 23. q. 4. *Si enim quiſq; inimicum ſuum periculoſis febribus phreneticum factum currere videret in præcipitium, non ne tunc potius malum pro malo redderet, ſi ſic eum ire permitteret, quã ſi corrigendum curandumq; ligaret? Et tamen tunc ei moleſtiſſimus, & aduerſiſſimus videretur, quando vtiliſſimus, & miſericordiſſimus extitiſset; ſed plane ſalute reparata, tanto ei vberius gratias ageret, quanto minus ſibi pepercißе ſenſiſſet* Et poſt pauca *quibuſdam iſta non proſunt: nunquid ideo negligenda eſt medicina; quia nonnullorum inſanabilis est peſtilentia.* Item poſt aliqua: *Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis, qui verberat inimicus; meliora ſunt vulnera amici, quam blanda oſcula inimici, melius est cum ſeueritate diligere,*

D. Hieron.

D. Auguſtin.

E quam

quam cum leuitate decipere, vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ, seductus acquiescat. Item post pauca: *Putas neminem debere cogi ad iustitiam; cum legas Patrem familias dixisse seruis: quoscunq; inueneritis cogite intrare.* Item etiam Aug. D. Augustin. gust. eodẽ cap. prædicta causa, & quæstione ait *Si ea de quibus vehementer Deus offenditur, insequi vel vlcisci differimus ad irascendum vtiq; diuinitatis patientiam prouocamus. nonne Achor filius Zaræ præterijt mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit?* Et eadem etiam causa, & quæstione capite sicut excellentiam habentur hæc verba: *Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriam fecit luce fulgere: ita oportet etiam inimicis Ecclesiæ eius, omni viuacitate mẽtis, & corporis obuiare, quatenus eius ex vtroq; triumpho magis ac magis enitescat opinio.* & infra: *persoluentes* (inquit) *paternæ charitatis affectum Dominum petimus, quod brachium vestrum ad comprimendum hostes forte efficiat, & mentem eius fidei zelo velut mucrone gladij vibrantis exacuat:* Hæc ille. Ne autem Violatores sacræ libertatis conquæri

quæri possint quod Pontifex eos persequitur, audiant Pelagium Papam pro Successoribus suis respondentem: *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persequtionem Ecclesia faciat, dum vel ea, quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit: errant huiusmodi tumoris fabulatores. Non persequitur nisi, qui ad malum cogit: qui vero malum, vel factum iam punit vel prohibet ne fiat; non persequitur iste, sed diligit. Nam si (vt illi putant) nemo nec reprehendendus est à malo, nec retrahendus à malo ad bonum est, humanas, & Diuinas leges necesse est euacuari, quæ, & malis pœnam, & bonis præmia iustitia suadente constituunt.* Ac tandem in capite *quid crudele* 23. q. 4. Diuus Augustinus contra Faustum ait: *Apostolus non crudeliter sed amicabiliter tradidit hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus sit:* Sic ergo Summus Pontifex instar peritissimi Chirurgi brachium exurit, & quandoq; penitus perdit (quod tamen amicabiliter facere nemo sanæ mente inficias ibit) vt totum reipublicæ corpus incolume seruet.

Pelag. Papa.

D. Augustin.

Tertio obijciunt quia quãto manifestius fuerit principem aliquem iniurijs affecisse

Digitized by Google

Summū Pontificē, aut eius censuras,& mandata cōtempsisse, tanto magis Pontifex continere se debet ab indictione belli contra illum,ne videatur,quod ira percitus ad vindicandas proprias iniurias in principem illum, & in totam eius Rempublicam irruere velit
D. Gregorius. quod expresse damnat Diuus Gregorius ad Ianuarium Episcopum, reprehendens illum eo quod ob iniuriam propriæ personæ quendam excommunicauerat. Vt habetur capite *inter quærelas*. 23. q. 4. vbi ait: *Nil te cogitare de Cœlestibus ostendis, sed terrenam te habere cōuersationem significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti.*

Verum ad hāc obiectionem non aliter respondere oportet quam per verba Diui Au-
D. Augustin. gustini ad Bonifacium, & habetur cap. *Maximianus*, vbi sic ait: *Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petijt ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, non tam sui vlciscendi causa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ, quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.* Hæc Diuus Augustinus, quod si Diuus Gregorius præcitato loco reprehendit

præ-

prædictum Epiſcopum quod propriam iniuriam per illatam ſententiam excommunicationis in ſuum inimicum vindicauerat, hoc ideo fuit; quia ipſe non debebat ſibi ius dicere; ſed adire ſuperiorem ad ius ſibi dicendum ſummus autem Pontifex, cum non habeat alium ſuperiorem in terris, qui ius illi dicere poſſit; rectè ipſe amore iuſtitiæ vindictam propriæ iniuriæ ſumere poteſt, iuxta ea quæ latius diximus ſuper cap. I.

Expediens eſſe Summum Pontificem, armis coercere inobedientes, & contumaces quando aliter cenſuris, & alijs ſpiritualibus poenis ſuccumbere renuunt. Cap. VIII.



VAMVIS ex omnibus ſupradictis apertiſſimè conſtet licitum, & iuſtum eſſe bellum Summi Pontificis aduerſus ſacrę libertatis violatores, tamen quia Diuus Paulus dixit *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Ideò ex Patribus, & Iuribus probare adnitar expedientem quandoq; eſſe prædictam indictionem belli, & quidem in primis nihil

magis decet Pontificem, (vt aduerſariorum rationem in eos retorqueam) quam pacis eximium conſeruatorem eſſe; expedit ergo bellum, quod ad prædictam pacis conſeruationem ordinatur, vnde meritò ſibi dictum exiſtimare poteſt Romanus Pontifex illud

D. Auguſtin. Auguſtini epiſtola ad Bonifacium: *non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur, vt pax acquiratur: Eſto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad*

Vegetius. *pacem vnitatis perducas*; Et Vegetius in Proemio tertij libri de re militari dixit: *qui deſiderat pacem præparet bellum*. Hæc illæ, Nec iuuat dicere Pontificem facilè poſſe firmam pacem mittere, ſi aduerſariorum voluntati conſentire velit: ſic enim omnis bellandi ratio ceſſabit: hoc (inquam) non iuuat; quia pium Pontificem impia pax decere non poteſt, quam Chriſtus Dominus ab Eccleſia ſua omnino relegandam monuit, dum dixit. *Non veni pacem mittere in terram, ſed gla-*

Leo Papa. *dium*. Vnde Leo Papa oratione de Natiuitate Domini, dixit: *Nec vera amicitia cenſenda eſt, ſi facit peruerſo ſcelere, & amore*

Cicer. *concordes*, cui conſonat illud Ciceronis Philippica 9. dicentis *Pacem admittendam eſſe quæ turpis non ſit, ſed cum iuſtitia coniuncta*,

nam



Digitized by Google

nam quæ à iustitia abest *scelus potius dicenda est* (vt ait Polibius lib. 4.) *quam vera concordia*. Sed melius illo D. Paulus dum 1. ad Timotheum cap. 2. dixit: *Tranquillitatem cum pietate connectendam esse*, quibus consonant egregia verba Diui Chrysostomi ad Rom. 12. Homil. 22. versans verba illa: *cum omnibus hominibus pacem habentes: Si pietatem labefactari videris; si iustitiam, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas vsq; ad mortem. Vi enim opprimi bona causa melius est, quam male cedere*, prout etiam monuit Cicero lib. de Oratore, quibus omnibus consonat illud Cornelij Taciti *suspecta pace tutius est bellum*, & illud Priuenatis liberum in Senatu Romano responsum, vt tradit Petrus Bellinus de re militari par. 10. tit. 1. *Si bonam pacem dederitis, perpetuam seruabimus, si malam non diuturnam*. Diuus etiam Gregorius Nazianzenus in Apologetico oratione prima egregiè admodum dixit: *Melius est laudabile bellum pace à Deo disiungente, ob eamq; causam lenem, & mansuetum hominem, spiritus ad pugnam armat, vt qui bellũ rectè gerere queat. Ioelis 3. dum ait: Mansuetus sit bellator*, quę verba elucidans Elias Cretensis in com-

Polibius. D. Paul. D. Chrysost. Cicer. Cornelius. Priuenas. Bellinus. D. Gregorius Naziãzenus. Ioel.

mentario prædictæ orationis ait: *Nec enim Dei cultores timidos, & ignauos esse conuenit, etiam si aliqui fortasse quietam vitam, atque à bellis remotam amplectantur, est autẽ istud Enthymema demostenicũ: optabilius est splendidum bellum turpi pace*. Hæc illæ. Quodnam autem splendidius bellum, quam quod pro Ecclesiasticis iuribus, aut sacris Canonibus tuendis, & Christi patrimonio indemni seruando à Romano Pontifice geritur? Vnde rectè sibi vsurpare potest verba illa zelo Chrysostomi digna in illud: Astitit Regina. Tomo 1. super Psal. 150. *Insidiæ istæ materiam mihi suppeditant coronarum; quæ mihi ingeruntur molestiæ, numerum augent premiorum, vnum est, & id solum quod metuo, nempe, peccatum: ne me quis coarguat, quasi aberrem à veritate, etiam si aduersum me bellum promoueat orbis vniuersus: bellum enim me reddit multo splendidiorem*. Hæc ibi. Audiamus etiam D. Bernardum in exhortatione ad milites cap. 30. de noua militia sic loquentem: *Securè dissipentur gentes, quæ bella volunt, & abscindantur, qui nos conturbant, & disperdantur de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Hierosolimis Christiani populi inestimabiles diui-*

Enthymema Demostenicus

D. Chrysost. Psal.

D. Bernard.

Digitized by Google

diuitias tollere gestiunt, sancta polluere, & hæreditate possidere. Exerat gladium vterque fidelium in ceruices inimicorum ad destruendam omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Ecce Diuum Bernardum docentem, bello pacem esse acquirendam, quando aliter bene obtineri non potest; Expedit ergo Romanum Pontificem ad hũc finem gladium stringere contra contumaces, & inobedientes, ac sacram libertatem violantes. Scio posse dici D. Bernardum in prædicto loco agere de bello contra Barbaros; sed nihil refert nã certè cum homines Christiani barbaros mores induunt, dictis & factis Romani Pontificis temporalem potestatem, & Ecclesiæ libertatem labefactantes, eisdem belli pœnis, quibus illi plectendi veniunt. Obiectio poß.

Secundò; quia si ipsum etiam impugnantium bonum respiciamus, quorum vtilitati, & incremento spirituali consulere ad summum Pontificem spectat. Sanæ mentis nemo inficiabitur, contingere posse, bellum valde expediens esse, Nam vt rectè dixit Diuus Augustinus sermone de puero Centurionis, & refertur 23.q.1.cap. paratus. *Agenda sunt multa, etiam cum inuitis quadam beni-* D. Augustin.

Digitized by Google

gna asperitate plectendis : quorum potius vtilitati consulendum est, quam voluntati . Nam in corripiendo filium quãtumlibet aspere, nunquam profecto paternus amor amittitur . fiat tamen quod nolit : & doleat : qui etiam inuitus dolore videtur sanandus , ac per hoc , si terrena ista respublica præcepta Christiana custodiat , etiam ipsa bella sine beneuolentia, non gerentur , sed vt ad pietatis Iustitiæq; societatem victis facilius consulatur:nam cui licentia iniquitatis eripitur,vtilius vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium:qua poenalis nutritur impunitas : & mala voluntas velut interior hostis roboratur. Idem etiam D. August.prout refertur 23.q.4.cap. displicet.*Quãto*(inquit) *magis vos ab errore pernicioso in quo vobis inimici estis, trahendi estis, & perducendi ad veritatẽ, vel cognoscendam,vel eligendã, non solum , vt honorem salubriter habeatis , sed etiam ne nequissimè pereatis*. Et postea obijciens sibi hominibus dedisse Deum liberum arbitrium , atque adeo non esse ad bonum cogendos . Respondet *non propterea malæ suæ voluntati impune , & crudeliter permittendos esse, sed vbi potestas datur , & à malo prohibendos,& ad bonum esse cogendos. Nam si vo-*

D. Augustin.

si uoluntas mala semper suę permittenda est libertati. Quare Israelitæ recusantes, & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si uero uoluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est, vt cæcaretur, cæcatus est, vt mutaretur, mutatus est, vt mitteretur, missus est, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur. Ac tandem (vt alia ommittam) ait *Si mala voluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes Pastores, & dicitur eis: Errantem non reuocastis, perditum non inquisistis, & vos oues Christi estis Characterem Dominicum portastis in sacramento quod accepistis, sed erratis, & peritis non ideo vobis displiceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos: melius enim facimus voluntatem Domini monentis, si vos ad ouile eius redire cogamus, quam consentiamus voluntati errantium, vt perire vos permittamus.* Hæc D. Augustinus. Quibus apertè ostendit quam expediens sit hoc bellũ ad cogendos sacræ libertatis violatores ad bonum, ne si ad tempus suæ prauæ voluntati D. Augustin.

relin-

Digitized by Google

relinquantur, in æternum pereant.

Tertio expedit non nunquam bellum gerere, aduersus sacræ libertatis obstinatos, & incorrigibiles violatores, ne si Romanus Pontifex dissimulet, iniquæ eorum voluntati consentire videatur, nam vt recte dixit
Damas. Pap. Damasus Papa, & refertur 23. q. 4. *Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud, quam fauere impietati eorum, nec careret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Et
D. Augustin. D. Augustinus ad Lotharium; prout refertur 23. q. 5. *Qui vitijs nutriendis parcit, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat, vel extinctum.*

De recta intentione Summi Pontificis in bello contra iura Ecclesiæ violantes.

Cap. IX.



NTER alias conditiones necessarias ad recta bella gerenda, altera est iuxta sententiam Diui Augustini in cap.
D. August. *quid culpatur* 23. qu. 1. &
D. Thom. Diui Thomæ 2. 2. quæst. 40. art. 1. vt recta

fiant

fiant intentione, alias illicita, & peccaminosa erunt. Vnde quoties bellum procedit ex odio, & non ex intuitu boni communis, vel recuperandi, quod ad ipsum mouentem bellum pertinent, vel iustæ vindictæ, aut alterius similis iustæ causæ prætextu, illicitũ est, non quia contra Iustitiam, quia potest subsistere iusta belli causa, sed contra Charitatem, vt rectè adnotauit Syluester verb. bellum 1. q. 1. vbi ait *unde bellare non licèt ex odio, uel huiusmodi, sed propter iustitiam & charitatem, sed istud intellige requiri ad uitandam culpam; non autem ad licitè retinenda, quæ capiuntur in bello, quia iniqua intentio, non uariat rerum inæqualitatem, uel æqualitatem, ex quibus dependet ius retentionis, & restitutionis*. Hæc illæ, quæ omnia ex eo facilè probantur, quod actio belli iusti ab intrinseco est bona, & honesta: licet aliàs ab extrinseco ratione prauæ intentionis vitietur, vnde sicut Iudex occidẽs malefactorem, qui secundum leges suspendium meretur; quamuis aliàs id faciat mala intentione, vtputa ex odio, aut priuata vindicta, talis occisio censetur iusta; licèt alias peccaminosa ratione prauæ intentionis; atq; adeò non fuit contra iustitiam, sed contra charitatem; ita Syluester.

in

in præſenti dicendum eſt , quod bellum ex iuſta cauſa,mala tamen intentione indictum non lædit iura iuſtitiæ , bene tamen charitatis . Ratio tamen potiſſima , & à priori huius mihi videtur eſſe , quod medium iuſtitiæ eſt in re ipſa, & non pendet ex intentione operantis: Ergo ſola praua intentio ex odio, vanagloria, vel apppetitu dominandi orta non poteſt reddere, bellum iniuſtum formaliter, licèt alias reddat illud illicitum & peccaminoſum , vt potè contra charitatem , aut humilitatem. Quamuis igitur,vt ad rem noſtram proprius accedamus,ſoli Deo,qui ſcrutator eſt cordium, & cui omne cor patet,nota , ac perſpicua fiat Summi Pontificis intentio in bello gerendo, eius tamen rectitudinem , ac ſinceritatem tot externa inditia ſolent indicare , vt nulla eius legitima dubitandi ratio moraliter loquendo ſuboriri poſſit . Etenim cum Romanus Pontifex agat de conſeruando Iure Sacræ libertatis, apertè efficitur intentionem eius in bello gerendo aduerſus ſacræ libertatis violatores,in eum ſcopum dirigi,vt firma ſemper , & illæſa perſeueret Eccleſiæ Catholicæ Sacra libertas , Deinde cum opus ſit ingentes ſumptus facere, ad bellum gerendum, quis quæſo crederet

quod

Digitized by Google

quod ſi Pontifices poſſent, nõ illos vitaſſent niſi alias Dei gloriam, & publicam Eccleſiæ vtilitatem in cuius comparatione omnia cum Diuo Paulo tanquam ſtercora arbitrãtur, ante oculos piè, ac religiosè ſibi propoſuiſſent. Ac tandem quia quoties Sacri Pontifices bella mouent aduerſus Sacræ libertatis violatores, prius eos hortantur ab eius violatione deſiſtere, deinde ſpirituali excommunicationis gladio illos feriunt, & ſi ad huc rebelles perſiſtant, legatos ad eos perſuadendos mittũt, alijſq; innumeris remedijs vtuntur, quod apertè indicat ſemper Romanos Pontifices pacis amatores exiſtere, atq; adeo ex amore pacis, pacem perturbantibus bellum indicere, ad quam acquirendam intentio Principis Chriſtiani bellantis præcipuè dirigi debet Iuxta textum in cap. *Noli* §. *pacem* 23. q. 1. Et textum in cap. *apud veròs* eadem cauſa, & quæſtione vnde Calderinus Conſ. 1. de tregua, & pace. dixit: *bellamus vt abſq; iniuria in pace viuamus*.

De

De fiducia, immo, & morali certitudine Victoriæ contra Sacræ Libertatis Violatores, quam non temerè ſibi polliceri poteſt Romanus Pontifex. Caput. X.



Llud ſanè inter pleraq; alia Romano Pontifici obtinē-dæ Victoriæ ſpem erigere eiuſq; fiduciam, mirum in modum firmare, ac ſtabilire debet, quod dum pro ſacra libertate tuenda conſtanter dimicat certè pium, ſacrum, ac laudabile bellum gerit. Inucteratam autem Dei conſuetudinem eſſe nouimus (ſi ita fas eſt loqui) bella pro Eccleſiæ cuſtodia ſuſcepta, aut iuſta alia cauſa inita, non ſolum amore proſequi; ſed, & præſentiſſimis auxiljs fouere, quod ſanè non aliunde probare adnitar, quam ex ſacrarum literarum teſtimonijs cō-pendiosè in medium productis, ne ſermonis prolixitate faſtidij quicquam lectori ingerá pręcipue ergo bella auxilio Domini per acta, quæ in Sacra Scriptura inſerta ſunt, eodem quo ab ea narrantur ordine contexemus. Scimus, (vt à magis notis exordiamur) qđ Amalech, orante Moyſe, Ioſue filius Nun ſuperabat,

Digitized by Google

bat, & Seon regem Amorreorum, & Og re- Num.21.
gem Basan, proceræ altitudinis viros popu-
lus Israel interficiebat. Balach filium Sephor Num.22.
Regem Madian, cum Balaam illo præcipuo
Astrologo, Phinees filius Eleasar cum exer-
citu occidit. Et quidam alter, vnum, & tri- Num.22.
ginta Reges Chananitidis, multis conflictio-
nibus prostrauit. Gedeon filius Ioas in tre- Iosue 12.
centis viris innumera Madianitarum milia
per tubas, & lucernas occidit. Iepte Galaa- Iud. 7.
dites populum de gentium potestate belli iu-
re liberauit. Sampson ille fortissimus He- Iud.11.
bræorum, leonem sibi occurrentem, nihil ha- Iud.14.
benti in manibus, confregit. De cuius postea Iud. 15.
ore, & capite fauum mellis accepit, & come-
dit, trecentasq; vulpes capiens, igneq; suc-
census in Philistinorum segetes dimisit. De Iud.16.
quibus ille mille viros impetu vno, asini man
dibula solus interfecit: & vndiq; sedentibus
circa ciuitatem, in qua dormitauerat, Phili-
stæis, ambas portæ fores cum ostijs, & su-
perliminaribus, & ferreis vectibus compre-
hendens, in verticem mõtis, qui respicit Ber-
sabeæ dereliquit. Tribum quoq; Beniamin Iud.19.
propter commissum piaculum totam, exce-
ptis sexcentis viris, omnes filij Israel popu-
lus post tria bella deleuit. Ionatas filius Saul 1.Reg 14.

F & ar-

& armiger suus stationem Philistinorum percussit. Dauid filius Iesse adhuc puer, &
1. Reg. 17. pastor ouium, Vrsi, & Leonis interfecti prædam de ore eripuit. Goliath Philisteum de fundibula lapide prostrauit. Qui postea patientiæ virtute Saul bis deprehenso inimico
1. Reg. 24. suo pepercit, Et Rex postmodum factus tribus grauissimis prælijs prostrata Philistino-
2. Reg. 5. rum agmina tributaria fecit, Dauid solus octingentos interfecit impetu vno. Abisai filius Saruiæ leuauit hastam suam contra
2. Reg. 23. trecentos & interfecit eos. Tres robustissimi ruperũt agmina Philistinorum, vt potum darent Regi Dauid de Cisterna Bethleem, quæ
Ibidem. in medio hostium erat. Banaia filius Ioiade interfecit duos leones in Moab, & Leonem
Ibidem. in Cisterna in diebus niuis. Ipse quoq; virgam tenens manu Aegiptium spectaculo dignum hastam habentem occidit. Bellum
2. Reg. 21. quoq; robustorum in Gabaam exercitui Dauid cessit improsperum. Præter hæc maxi-
2. Reg. 8. ma Regis Dauid aduersus in circuitu regiones bella prospere Dei auxilio fauente, seu per semetipsum, seu per exercitum sæpè per-
2. Reg. 18. acta sunt. Bellum verò ciuile in Saltu Efraim in ipso Israel in testimonium Dauid restituit in regnum Samariæ regnum contra Syros, &

reges

Digitized by Google

reges Damaſci, nunc huc, nunc illuc alterno prouentu vergentia certamina multa fecerunt. Silentio etiam non præteribo Machabæorum bella, quibus toties diuinam opem ad ſuperandos inimicos experti ſunt. Secundo enim Machabæorum cap. 10. Legimus è cœlo viros quinq; in equis frœnis aureis decoros ducatum Iudæis præſtitiſſe. Et cap. 11. hęc ſacra narrat hiſtoria. *Vt autem Machabeus, & qui cum eo erant cognouerunt expugnari præſidia, cum fletu, & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba ſimul, ut bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſrael, & ipſe primus Machabeus, ſumptis armis cæteros adhortatus eſt ſimul ſecum periculum ſubire, & ferre auxilium fratribus ſuis, cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques veſte candida, armis aureis, haſtam uibrans, tunc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum: Ibant igitur prompti, de coelo habentes adiutorem, & miſerantem ſuper eos Dominum, Leonũ autem more impetu irruentes in hoſtes proſtrauerunt ex eis undecim milia peditum, et equitum mille, et ſexcentos.* Hæc ibi. Quibus apertè impletum eſt illud Iudicum 4. *De coelo dimicatum eſt contra*

2. Mach. 10.

Ibidem c. 11.

Iud. 4.

eos, &c. Ad hæc quis breui narratione comprehendere poterit auxilia, quibus Deus Optimus Maximus Chriſtianis opitulatus eſt? Conſtantinum Dei auxilio, & miraculis euidenter oſtenſis viciſſe in bellis teſtatur Euſebius in vita Conſtantini, & lib. 9. Hiſtor. cap. 9. cũ Theodoſio Imperatore ſanctum Ioannem, & ſanctum Philippum Apoſtolos palam pugnaſſe contra hoſtes ipſius, teſtatur Theodoretus lib. 5. hiſtor. cap. 24. Pro Theodoſio Iuniore Imperatore pugnaſſe Angelos contra Saracenos. Scribit Socrates lib. 7. cap. 18. Ad preces ſancti Martini Angelos armatos acceſſiſſe refert Presbyter Fortunatus, lib. 1. cap. 16.

Theod. lib. 5.

Socr. lib. 7.

Presbyt. Fortunatus. lib. 1.

Militiæ Angelicę coram duo protinus adsũt:
Syderei proceres haſtas, et ſcuta tenentes
Cominus hi ſanctum compellunt uocibus ultro
Præſidÿs Martine tuis delabimur aſtris
Squalidus ipſe ſedes, ſed ſit tua cura tonanti
Suffragÿſq; tuis coeli fremit arduus axis
Belliger, et totus conſpirat olimpus in armis,
Vt cepta efficias, per nos tibi militat æther
Mittimur à Domino gemini tua caſtra regentes;
Hac pro parte duces melior, qua parte laborat

Nunc

Nunc age rumpe moras, ne rustica turba rebellet
Arma ministra uides, nostrum est superare superbos,
Irrue, ne trepides, ope nostra ad tẽpla ruenda,
Nec titubare decet, fauor est ubi numinis alti

De Clodoueo multa apud Gregoriũ Turonicum lib.2. Histor. Francor. cap. 30. Honorij exercitum Diuino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse, scribit Beatus Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 23. Ariulphum Ducẽ Sanctus Sabinus Martyr prope Spoletum suo Clipeo muniuit, & in bello protexit. vt tradit Paulus Diacon. lib.4.c.12. Et Rober. Monach. lib. 6. & 7. de bello sacro. refert sæpe Sanctos Georgium, Mauritium, & Demetrium visos sub nostris castris militasse. Sanctus Georgius Aragonensibus in bello Oscensi maximum Agarenorum exercitum prostrauit, vt narrat Carbonellius lib.1. Et in bello Valentino sæpe nostris auxilium tulit Sanctus Iacobus Apostolus Hispaniarum Patronus Renamiro Regi Legionis, prope victo atq; prostrato eius exercitu, in colle, qui Clailinus nominatur, Hispanice *Clauiso*, apparuit, & victoriam pollicitus est, quam postero die à Mauris ob-

Greg. Turon.
D. Augustin.
Paulus Diac.
Robertus Monachus.
S. Georg.
Carbonellius.

tinuit, vt constat ex Regio priuilegio eiusdem Renamiri. IX. Kalendis Iunij Era DCCCCLXXII. Et refert Calixtus II. lib. de miraculis Beati Iacobi,& Vincentius Beluacensis lib. 27. speculi historial. cap. 31. Cum igitur summus Pontifex tanquam acerrimus sacræ libertatis vindex,pro eius indemnitate pugnet,quid ni Deum sibi propititum, ac protectorem non experietur, sane sibi dictum putare potest illud Psal. 120. *Dominus custodiat te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*, quem locum elucidans Diuus Chrysostomus ait: *à metaphora eorum qui stant in acie stabit Dominus ad manum tuam dexteram, vt sis inexpugnabilis, vt gnauus ac strenuus, vt valens, & potens, vt tropheum erigas, vt referas victoriã.* Hæc ille. Quæ sanè ita indubitatè futura credebat, vt nõ solũ obtinendæ victoriæ fiduciam: verum, & omnimodam certitudinem in Pontificis animum inducere possent. Nam tametsi Dauid insignis Bellator dixerit: *varius est euentus belli*; quandoq; enim Prosper, & Faustus, quandoq; tristis, & funestus est exitus. In hoc tamen bello neutiquam Pontifex victoria fraudari potest: Nam in Christianis, & Religiosis certaminibus, qui

Renamiri Regis.
Calistus.
Vincentius Beluacensis.
Psal. 120.
D. Chrysost.
Dauid 2.Reg. 11.

visi

visi sunt oculis insipientium mori, & vincti, victoriæ palmam sine dubio reportant. Nec enim Nero Petrum: Traianus Clementem, Decius Fabianum, Diocletianus Caium superauit, ac vicerunt sed ab his potius sacris Pontificibus, pro Catholica Religione, mortem occumbentibus, viriliter superati, ac gloriosè victi fuere. Et quamuis verum sit hos pro fide nõ pugnasse, nemo tamẽ nisi hæreticus inficias ibit, Diuum Thomam Episcopum Cantuariensem; vt qui pro sola Ecclesiastica libertate tuenda mortem obierit vti victorem martyrij corona à Christo donatum fuisse: vnde rectè Gerardus Lopersius Catholicus Antagonista in aurea sua illa propugnatione retundens temerariam cuiusdam insipiẽtis sentẽtiam falsò putantis Gregorium VII. ab Henrico fuisse deuictum, eo quod multa sibi illata mala ab eo perpessus fuisset. Sic ait: *Ita quidem libertas Ecclesiastica vindicatur cum vti Gregorius, summa constantia steterint Romani Pontifices aduersus persecutores Principes inconcussi, eligentes magis cum Gregorio exulare atq; exules mori, & potius quam turpiter prostituere, ijsdem Ecclesiasticam libertatem vitam ipsam profundere consumando Martyrium. Quod*

Gerardus. Gregor. VII.

planè est vincere ducereq; triumphum: perdere verò, si cum dispendio Ecclesiasticæ libertatis pax omni bello funestior acceptetur. Hæc ille. quæ omnia egregiè confirmat, quæ tradit Diuus Bernardus sermone exortatorio ad milites templi cap. 1. Vbi ait *Quam gloriosi reuertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur martyres in prælio: gaude fortis Athleta si viuis, & vincis in Domino, sed magis exulta, & gloriare, si moreris, & iungeris Domino: vita quidem fructuosa, & victoria gloriosa, sed vtriq; mors sacra iure præponitur: nam, & si beati qui in Domino moriuntur, multo magis qui pro Domino moriuntur* Et infra post quam dixerat mortem Iustorum esse prętiosam, subdit: *Ceterum in bello tanto, profecto prætiosior; quanto gloriosior.* Quibus consonant egregia verba Diui Chrysostomi homil. de expulsione ipsius tomo 5. quæ non immerito hac occasione sibi vsurpare potest Romanus Pontifex aduersus illum impugnantes *Impugnas me quid mihi nocebit impugnatio tua, nisi quia me quidem clariorem impugnationibus tuis reddes, tuas vero conteras vires? Durum enim tibi erit aduersus stimulum calcitrare: quia non stimulum retundens, sed pedes calcitrans* vulne-

D. Bernard.

D. Bernar. ibi.

D. Chrisost.

vulnerabis neq; fluctus qui saxo illiduntur amplius aliquid proficient, quam vt semetipsos fracti dissoluant, & in spumas extenuati depereant: Christi Ecclesia Nihil fortius, si quis eam impugnare proponit vires atterat necesse est, tale est enim velut si Cœlo bellum mediteтur inferre: homini si bellum inferas fortasse vinces, aut forte vinceris; Ecclesiam vincere, nulla vis poterit. Hæc ille quibus addo verba Atiliani Archiepiscopi Neocesariensis ad Stephanum Papam VI. *Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia semper præualet aduersus eos qui illi bellum concitant.* sic refert Illustrissimus Baronius Tomo.X. Annalium Anno Christi octingentesimo octogesimo sexto editione Romana pag. 611. 612. 613. **Atilianus.** **Card. Baron.**




DE

DE INIVSTITIA BELLI ex parte Violatorum Sacræ Libertatis contra Romanum Pontificem.

LIBER SECVNDVS.

De multiplici causa iniusti belli ex parte Violatorum Sacræ Libertatis aduersus Summum Pontificem. *Caput I.*



Ta celebris, vera, & compendiosa fuit sententia Diui Augustini contra Manicheos, cum iniustas belli causas assignauit, vt opus non sit, eas aliunde mutuare, quam ab hoc tanto Doctore. Ipse ergo scribens contra hæresim Manicheorum, omnia bella indiscriminatim damnantem, prout refertur cap. quid culpatur 23. q. 1. ait: *quid culpatur in bello? an quia moriuntur quandoq; morituri, vt dominentur in pace victuri? hoc reprehendisse timidorum est, non* D. August.

reli-

religiosorum, Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur. Ad has Diui Augustini causas reuocari possunt quinq; quas refert Glosa in capite quid autem 23. q. 2. quas etiam tradit Petrus Bellinus de re militari tit. 4. Vbi ait *quinq; modis bella iniusta fiunt. Ex persona, vt in Sacerdote* (subintelligere sine licentia Pontificis Bellante.) *Ex re pro qua non deceat. Ex causa, quia voluntaria non necessaria. Ex animo, & intentione, vt vindictæ, et vltionis gratia. Ex authoritate, si ea desit.* Quæ omnia prosequitur Baldus in cons. 439. ad bellum iustum lib. 5. & nos etiam pro uiribus prosequemur, quantũ ad illustrãdum præsens argumentum, opus fuerit. Ne autem in re adeò graui, quidquam meo marte cõfingere videar: placet singula Doctorum testimonia referre, quæ iniustitiam belli ex parte violatorum sacræ libertatis apertè indicent, & quidem in primis Syluester verb. bellum 1. q. 2. quærens, an sit iustum bellum ex parte Imperatoris, quando illud gerit contra Papam illum corrigentem, Respondet his verbis *dixit Panormit. in cap. sunt il 3. de Iure*

Glosa.

Bellinus.

Bald.

Syluester.

Iureiurando, quod secundum eos, qui dicunt duarum Iurisdictionum, scilicet temporalis, et spiritualis, vnam non subesse alteri, & quod nihil ad Ecclesiam de temporalibus, oportet fateri quod sit iustum, quod secundum Ioannem Andriam, & Hostiensem absit à fidelium cordibus, quia Imperator ex officio est aduocatus Ecclesiæ: vnde non debet eam impugnare, sed liberare oppressam, vt constat de natis ex li ventre capite vno: Immò tanta pertinacia secundum eos vix cauere posset labe hæreticæ prauitatis, iuxta notata in cap. excõmunicam. de hæreticis, & in tanta iniquitate, etiam si Papa in temporalibus esset inferior, fieret superior propter eius peccatum: tamen certum est, quod est superior, vnde electum examinat approbat, & improbat, vt habetur capite per uenerabilem, de electione: vnde concludunt tale bellum esse iniustum, & in hoc sensu teneri omnes fideles adhærere Ecclesiæ contra iniquum Principem, Et paulo post subdit *bellum, non dicitur iustum eo ipso, quod Papa, vel Imperator illud mouet contra inferiorem, quia & ipsi possunt peccare 40. dist. cap. Si Papa, quia summi Principes à Deo habent potestatem pascendi, & rectè iudicandi subditos non autem delinquendi, seu opprimendi. 40 dist.*

Digitized by Google

dist.cap.10. Et consequenter oportet subesse legitimam, & naturalem causam, vt quia est contumax & rebellis. Hæc illæ. Cum ergo contingit Principem, aut rempublicam, bellum gerere, aduersus Pontificem illos corrigentem, contumaciamq; & rebellionem aduersus sacram libertatem excitatā increpantem, apertè efficitur bellum ex parte ipsorum esse iniustum. Felicianus item in explicationibus Catholicis parte 2. explicatione 41. sic ait. *Ex scripturis sanctis docemur, bellum iustè sumptum, non pro animi voluptate, siue auaritia, siue virium ostensione, sed iusta exigente causa, & cum pacis tranquillitas alio modo haberi non potest, legitimè exerceri damnantur profecto mali Principes, qui aut quo ditiores fiant, siue eorum ditiones, & regni terminos latius propagent, bella mouent, populos concitant, vectigalia, & onera imponunt, &c.* Hæc illæ. Deinde Molina tractatu 2. de iustitia, & iure cap. 102. sic ait: *Illud etiam est animaduertendum Principem in bello inferendo; non minus posse esse iniustum aduersus suam Rempublicam, quam aduersus alienam, cui illud inferre parat, eaq; de causa non solum esse illi attendendum, an habeat iu-[illegible]m belli causam aduersus alienam Rempubli-* Felicianus.

blicam, sed etiam, an iniustus sit aduersus suam eiusmodi bellum mouendo. Etenim si prudentis arbitrio tale bellum futurum est in detrimentum maximum suæ reipublicæ, quia vires non habet ad superandum, vel quia cum modico suæ Reipublicæ boniq; communis emolumento subditos suos maximis periculis, et detrimentis exponet, reditus publicos in eo insumet, rempublicam nouis tributis, & exactionibus grauabit: sane culpa erit letalis contra iustitiam aduersus suam rempublicam, eiusmodi bellum suscipere. Hæc illæ. Accedit ad hæc quod iuxta textum in capite vbi 84. dist. & in l. liberam. ff. de pecul. cum gloss. priuilegium amittit, qui eo abutitur, igitur cum Princeps, vel Respublica volens gerere bellum contra Romanum Pontificem supremum caput Ecclesiæ, eo quod iura ecclesiasticæ libertatis illæsa seruare contendit, crimen læsæ maiestatis Pontificiæ incurrat: proculdubio amittit priuilegium potestatis, quo gaudet ad bellum authoritatiuè indicendum, & sic etiam hac ratione redditur bellum ex parte eius omnino iniustum propter defectum prædictæ potestatis, & authoritatis, quæ est prima omnium conditionum requisitarum ad iustitiam belli. Item com-

munis

munis est Theologorum sententia, quam sequitur Cardinalis Toletus in instructione sacerdotali lib.1.cap.13. quod excommunicatus, non potest exercere, actum iurisdictionis absq; peccato: imò & si excommunicatio publica sit, sententia ab eo lata est nulla, vt habetur capite *ad probandum* de sententia, & re iudicata: igitur eum Princeps bellum gerens fungatur munere Iudicis in alium, grauissima belli pœna eum afficiens. (Vnde bellum dicitur à Theologis supremus actus iustitiæ vindicatiuę) manifestè efficitur, quod talis Principis publicè excommunicati sententia per indictionem belli aduersus alium Principem lata, nulla prorsus est, vtpote procedens ab eo qui, vel potestate indicendi bellum priuatus, vel ab vsu illius suspensus est. Ac tandem cum certum sit, non posse seclusa ignorantia dari bellum iustum ex vtraque parte, & supra lib. 1. per varia capita multis sacræ scripturæ testimonijs, & non paucis rationibus ostenderimus bellum ex parte Summi Pontificis aduersus ecclesiæ iura violantes, esse omnino iustũ, consequẽs est ex eisdem probationibus, & argumentis, bellum idem ex parte violatorum sacræ libertatis iniustum esse. Card. Toletus

Refe-

Digitized by Google

Referuntur multa ex quibus contingit bellum aliquod esse iniustum, facileq; ex eis iniustitia belli ex parte Violatorum Sacræ libertatis deprehenditur Caput. II.

Bernard. Roc.



Vædam huic argumento ita valde cõsona excogitauit Bernardinus Rocca lib. 1. de Regimine Militiæ, vt ea hoc loco referre non molestè tulerim: & quia Authorum testimonia, eo fidelius referimus, quo seruato proprio eorum idiomate in medium producuntur: Ideo quæ ab hoc authore, vulgari sermone scribente mutuare decreuì, vulgari eius sermone referemus ex varijs eius locis in vnum collecta: sic ergo ait in præcitato libro.

Nasce la ingiusta guerra dall'ambitione di non voler superiore, ne eguale; come quella di Pompeo contra Cesare, che gli mosse l'arme, & gli suscitò tutta la Città contra, & pure al fine morse in essa.

Nasce dall'opporsi a' superiori, come quella de gli Alessandrini, quando volendo Cesare, come Consolo de Roma intender la causa di Tolomeo, & della Sorella, che spettaua al

Consolo

Consolo maggior Magistrato, opponendosi gli agenti di Tolomeo, si fece grossa guerra nella quale al fine Cesare rimase vincitore. Et volendo competere Frate Hieronimo Sauonarola contra Papa Alessandro, & predicando contra i suoi commandamenti; cosa poco Christiana; fu al fine fatto prigione, & condotto al supplicio doue vituperosamente se ne morì. Guicciard. lib. 3.

Nasce da' stimoli & cattiui consigli, come quella guerra di Antioco gouernato da Hermia di Caria, & da altri cattiui ministri: perche fu messo in tante guerre, & tanti pericoli che poco vi mancò, che non vi rimanesse roinato. Gli stimoli di Archelao fuggito da Mitridate à Murano Luogotenente di Scilla Romano, suscitarono anchor essi la seconda guerra contra Mitridate. Et non era mai Carlo viij. per volger l'armi contra gli Aragonesi nel Regno di Napoli se non fussero stati gli stimoli, & i consigli de' suoi. Pol. nel 5. App. nel 4. delle externe. Guicciar. li. 1.

Nasce per cagione della libertà, come quella guerra di Spartago gladiatore, che congiurò con gli altri contra i padroni, & suscitò i serui, & altri sino al numero di settanta milia persone contra li Romani, & gli fecero guerra per tre anni; ancorche poi vi restassero tut- App. nel 1. delle Ciuili.

Iovio lib. 5. *ro tutti. Così fecero i Fiorentini, che per mantenersi la libertà, scacciorno al tempo di Papa Clemente, tutti quelli, che erano della famiglia de Medici: perilche fu fatta gran guerra. Il medemo fecero i Pisani contra i Fiorentini; perciochè per la libertà loro presero l'armi contra i Fiorentini, & si ribellorno col fauor di Carlo Ottauo Re di Francia, dal che nacque sì lunga guerra fra di loro.*

Guicciard. lib. 1.

Cesare nel 3. delle Ciuile.

Nasce dalla ribellione, come quella de Fidenati: perche non volendo piu obedire à Romani come prima; si ribellorno da essi: & per questa cagione fatta la guerra contra di loro, aspettando i Fidenati il tempo, che i Romani furono molestati da gli Albani, con l'occasione de saccheggiamenti. Et come quella di Alessandro Magno, quãdo essendo per passar in Asia contra i Persiani, Ribellandosi à lui i Thebani; ritornò contro di loro, & combattendogli li vinse con ruina grandissima di quella Città. Hæc omnia si quispiam attentè perpendat facilè sanè deprehendet ex similibus causis ortũ habiturum bellũ, quodcunq; violatores sacræ libertatis aduersus summũ Pont. excitauerint, huiusmodi enim causæ nõ alię esse solent quã appetitus excellentiæ, ita inordinatus, vt Romanum Pontifi-

Guicci. lib. 3.

cem

cem directè, aut indirectè, sibi in temporalibus superiorem non agnoscant, contumax quædam voluntas acriter resistens supremo capiti Ecclesiæ, imprudentium hominum consilia, quibus se, & totam suam gentem, credunt, falsus defensionis Patriæ, & debitæ libertatis prætextus, omnino exsecrandus, ac tandem simulata quædam, imò manifesta aduersus sacram libertatem rebellio, circa quæ illud dixisse sufficiat, quod Diuus Chrisostomus dixit homilia aduersus Gentiles, quod Christus sit Deus, tomo 5. *Quod Regibus maiores sint Petrus, & Paulus declarauit euentus. Nam Regum leges etiam ipsis viuentibus irritantur: at piscatorum illorum etiam mortuis ipsis ratæ sunt, & immobiles manent, licèt multis legibus animaduersionibus, armis, supplicijs, argutijs verborum, eloquentia, cognationibus, amicitijs, dæmonibus, consuetudinibus, malis moribus, voluptatibus, & infinitis alijs refringere plurimi conati sint.* Hæc illæ. Quibus, ea ad viuum depinxit arma, quibus Ecclesiæ iura violantes Romani Pontificis authoritatem, ac sacram libertatem acriter dilacerare moliuntur.

D. Chrysost.

Etiam si contingat, quempiam esse dubium de Iniustitia belli ex parte sua, eo quod vtrinque probabiles rationes, sese illi offerant; mortaliter tamen peccat, bellum gerens contra Romanum Pontificem, sacram libertatem defendentem. Caput III.



Ifficulter sanè credã, nisi Christiani hominis, mens caliginosis valde passionum nebulis implicata densissimisq; errorum tenebris obscurata, ac penitus obcecata sit: certò sibi persuadere posse iustum esse ex parte eius bellum, quod contra Romanum Pontificem sacram libertatem defendentem gerere nititur. Verum tametsi demus (quod Deus auertat) eum in eam mentis caliginem incidere, vt saltem dubitet de prædicta iniustitia: grauissimè nihilominus eum peccare, dum hoc bellum gerit, communis Theologorum testatur sententia, quam multis rationibus corroborabo antequam tamen id præstem, duo præmittenda duxi: primum est, oportere Principem, ante quam gerat bellum; iustum ne, an iniustum sit diligenti inquisitione tam per se ipsum

Comm. Theol.

ipsum, quàm per viros doctos, odio, ira, & cupiditate carentes, strenuè indagare iuxta illud Iob. 29. *Et causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam:* quod similiter faciendum hortatur Diuus Gregorius ibidem lib. 19. moralium cap. 13. & ratio etiam id suadet: tum quia Princeps bellum gerens fungitur munere Iudicis. At Iudici incumbit diligentem causæ examinationem facere ad iustam ferendam sententiam: ergo tenetur prædictam diligentiam adhibere in examinatione prædictæ causæ. Tum quia gerere bellum est res grauissima, & plena periculis, & incommodis vtriusq; partis: Ergo ad aggrediendum illam, opus erit ingenti sapientium consultatione. Quæ ratio magis adhuc vrget in rebus moralibus, in quibus plerumque non parum difficilè est verum, & iustum attingere. Ac tandem quia, vt optimè obseruauit Magister Victoria relectione de iure belli, num. 20. & 21. non sufficit ad iustitiam belli, quod princeps credat se habere iustam causam: aliàs ferè semper esset bellum iustum, cum frequenter apparentibus, quibusdam rationibus, tametsi falsis, facilè sibi quisque iustum esse bellum persuadeat: vnde rectè Comicus in Eunucho dixit. *Om-*

Iob. 29.
D. Grego.
Victoria.
Terentius.

nia, prius experiri consilio, quam armis sapientem decet. Secundum quod præmittere oportet est communem, & receptissimam Theologorum sententiam esse, quod si facta debita examinatione: adhuc causa belli dubia sit, & alter sit in possessione, non potest Princeps gerere bellum aduersus illum, ita victoria relectione, de iure belli, num. 27. illumq; sequuntur vnanimi consensu Interpretes D. Thomæ 2. 2. q. 40. art. 1. Et Molina de iustitia & iure, vbi sup.

D. Thoma. Molina.

His præiactis fundamentis euidenter probari potest proposita assertio, Primo nam causa aliqua dubia existente, certè si Iudex proferat sententiam capitis contra aliquem lætaliter peccat, nam vt docet communis Iuristarum sententia probationes contra reum debent esse luce meridiana clariores. Reus enim habet se veluti qui respondet, qui dum probabilia dicit, non conuincitur, nec concluditur: at indicere bellum, est quasi proferre sententiam criminalem capitis: Ergo non potest id efficere Princeps, dum iudicat causam esse dubiam. Secundo, quia bellum gerere est actus iustitiæ vindicatiuæ (vt omnes Theologi fatentur) atq; adeò gerens illud habet se, vt Iudex: at *cum iura partium*

sunt

Digitized by Google

sunt dubia & obscura, reo potius fauendum est quam actori, vt habetur Reg. 11. de Regulis Iuris in 6. Ergo quantumuis Princeps iudicet causam dubiam, fauendum est possessori, quem constat esse Pontificem Romanum, qui est in possessione Ecclesiasticæ libertatis, quam quidã eius violatores infringere nitentes ab ea illum repellere contendunt, Maximè quod prout habetur ibidem reg. 65. *In pari causa melior est conditio possidentis*; Ergo quantumuis daremus æqualiter dubiam iustitiam belli, standum esset pro Pontifice, qui, vt nuper dicebam est in possessione prædictæ libertatis Ecclesiasticæ, vnde sicut si duo ciues inter se contẽderent, certè in dubio æquali, Iudex non posset spoliare legitimum possessorem, quia in dubijs melior est conditio possidẽtis: Ergo nec Princeps in causa propria, potest tali dubio existẽte, alterum Principem expoliare re, quam iustè possidet. Tertiò, quia commune est Theologorum, & Iuristarum axioma, non posse dari per se loquendo, & seclusa ignorantia bellum iustum ex vtraq; parte. Tum quia duo iura contraria, non possunt esse à parte rei iusta, qui autem contra se inuicem pugnant, intendunt iura contraria. Vnde, si-

cut in naturalibus ſimile, non agit in ſimile, nec æquale, in æquale; Ita in moralibus innocens, non poteſt iuſtè pugnare contra innocentem. Nam ille, contra quem iuſtum indicitur bellum, eſt dignus pœna; repugnat autem eſſe innocentem, & dignum pœnam, nam cum virtus non ſit contraria virtuti, nec innocens poteſt eſſe contrarius innocenti. Tum etiam, quia ſuppoſito (vt ſupra dictum eſt) bellum eſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ, manifeſtum eſt exerceri non poſſe in carentem crimine, cum nemo, niſi propter culpam puniendus ſit pœna ex reg. 23. de reg. iuris, de quo videndus eſt D. Auguſtinus lib. 19. de Ciu. c. 15. vbi expreſsè docet nullum bellum eſſe per ſe ſine peccato; quoniã licèt iuſtè agatur ex parte vnius, ſemper tamen eſt peccatũ ex parte alterius dimicantis contra quem dimicatur, & prius etiã lib. 15. de Ciuit. cap. 5. dixerat, quod boni ſi perfecti ſunt, non pugnant contra bonos; ſed pugnant mali, & mali; aut boni, & mali. Cum igitur bellũ non poſſit eſſe per ſe iuſtũ ex vtraq; parte ſecluſa ignorantia, manifeſtè efficitur, re exiſtente dubia, & Pontifice in poſſeſſione ſuæ eccleſiaſticæ libertatis, non poſſe illum ab aliquo iuſtè impugnari; Nam ſi ipſe iuſtè impugnat,

D. Auguſtin.

pugnat,

pugnat, cum alias etiam Pontifex, qui iustè possidet, iustè se defendat ab impugnante Ecclesiasticam libertatem: esset quidem bellum iustum ex vtraque parte seclusa ignorantia, quod omninò repugnat. Vltimò tandem, quia si existente re dubia Princeps posset pugnare iustè contra possidentem: certè possidens, pari ratione posset rem illam iustè ab eodem recuperare, & sic nunquam esset finis bellorum; quod in maximam perniciem, & detrimentum Reipublicæ redundaret, Ex quibus omnibus infero peccare mortaliter Milites, siue subditos, siue alienigenas, qui certiores facti, quod hic princeps sit dubius de iustitia belli, illum iuuauerint, Ratio huius est, quia vt probatum est tale bellum ex parte principis est iniustum: ergo cooperantes ad illud peccant mortaliter, non secus, ac lictor exequens sententiam Iudicis quàm clarè agnoscit esse iniustam propter defectum examinationis causæ.

Digitized by Google

Contra probatam ſententiam nonnullæ proponuntur obiectiones quibus omnibus fit ſatis. Cap. IV.



VO præcipuè aduerſus hanc doctrinam, video obijci poſſe. Primum eſt, quod quando Princeps dubitat de Iuſtitia cauſæ circa rem, quam actu poſſidet, poteſt non obſtante tali dubio, licitè ab Inuaſore illam defendere: ergo eodem prorſus modo dicendum eſt de bello aggreſſiuo, quod ſtante dubio: an hoc, vel illud ius, quod non poſſidet pertineat ad ipſum, licitè poterit gerere bellum, & vrgeo magis hanc rationem in hunc modum. Nam Iudex licitè poteſt damnare innocentem probatum nocentem, cum enim opiniones ſint probabiles de hoc inter Doctores, quibuſdam negantibus ad licitè fieri poſſe, quibuſdam verò affirmantibus ad licere: licitè poteſt Iudex ſequi partem, quàm maluerit; ergo cum Princeps dubitat de iuſtitia cauſæ, ſeu de iuſtitia belli, eo quod videt varias opiniones in vtranq; partem, licitè poterit mouere bellum, aut indictum ab

alio

alio acceptare. Respondeo ad hanc obiectionem, supponendo duplex esse dubium, alterum speculatiuum, vt quando dubito: an hæc res sit mea; alterum practicum, vt cum dubito: an hoc sit licitum. Dico ergo quod tunc ex dubio speculatiuo consequitur dubium practicum, quando quis non habet ius pro se quo certificetur ad operandum, secus est quando habet ius certum pro se: exemplo res fiet manifestior. Si quis dubitat: an res quam possidet sit sua: certè, quia tunc habet ius pro se certum, quia in dubijs melior est conditio possidentis: ideo tunc, non oportet quod ex dubio speculatiuo sequatur in illo, dubium hoc practicum: an, scilicet, licitè illam possideat, sed potest cum eo dubio speculatiuo, certo scire, quod illam licitè possideat: quãdo autem dubitat, an res quam non possidet sit sua: tunc quamuis habeat ius pro se ad mouendam litem, vt sciatur ad quẽ res illa pertineat, non tamen habet ius ad illam capiendam, nec Iudex in tali dubio potest illam sibi dare, & ideo ex dubio speculatiuo censetur sequi dubium practicum: an, scilicet liceat illam accipere, quare ad argumentum neganda est consequentia, propter dictam disparitatem rationis. Ad exemplum

autem

autem de iudice, Respondeo; quod tametsi verum sit licitum esse illi, sequi opinionem probabilem; tamen quando Princeps dubitat de iustitia belli, nulla potest esse opinio probabilis, quod tunc liceat mouere bellum aggressiuum contra possessorem; quia dato tunc esse posse opinionem probabilem speculatiuam, quod scilicet ea res de qua dubitatur pertineat ad ipsum Principem: practica tamen nulla potest esse probabilis, vnde sicut quando innocens, non sufficienter probatur nocens, in ordine ad iustitiam publicam, nulla potest esse opinio probabilis practica, quod liceat illum occidere, & ideo si tunc Iudex illum occidat peccat, & sententia continet intolerabilem errorem, ita etiam quousq; constet Principi, hostem esse reum (quod tamen constare non potest supposito, quod perseueret prædictum dubium) nulla potest esse opinio probabilis practica, quod liceat bellare contra illum, & ideo si bellauerit mortaliter peccat.

Secundum, quod video obijci posse aduersus præpositam assertionem est. Quod in casu dubij licitum est mouere litem in iudicio contra possessorem; Ergo etiam existente prædicto dubio de iustitia belli poterit

Prin-


Digitized by Google

Princeps ſic dubius bellum mouere contra poſſeſſorem: antecedens à nemine negatur, & conſequẽtiam probo, quia ſicut inter ſubditos mouetur lis, vt quilibet ſuum ius accipiat coram iudice; ſic etiam inter Principes bellũ geritur, vt vnuſquiſq; ſuppoſito; quod non habeat ſuperiorem in ordine principum ſecularium per ſe ipſum accipiat ius ſuum. Reſpondeo, quod lis ad duo tendit. Primum, vt iuridicè examinetur cauſa. Secundum, vt iuſtitia cognita executioni mandetur, & ideo in dubio poteſt moueri lis propter primum, ſcilicet ad examinandum cauſam, bellum autem potius eſt executiuum iuſtitiæ, quam examinatiuum, & ideò ſupponit certam iuſtitiæ cognitionem, nec ſatis eſt dubia: vnde ſicut ex communi iuriſtarum ſententia diximus, quod in cauſis criminalibus, probationes debẽt eſſe luce clariores, ita & in bello. Quod ſi quiſpiam dicat hanc vltimam rationem retorqueri poſſe contra Pontificẽ, Nam cum hic agatur de crimine Violatorum ſacræ libertatis: certè ad eos damnandos, & maximè mediante bello, quod eſt grauiſſima pœna oporteret luce ipſa clariores eſſe probationes oſtendentes iniuſtitiam eorum, quod ſecus accidit cum plerumq; contingat

non

non paucos, Theologos, & Iurisperitos varijs iuribus, & rationibus eorum iustitiam defendere. Respondeo me sequenti capite huic obiectioni commodius satisfacturum, ad eum locum remitto lectorem.

Omnes Milites, siue certi, siue incerti, & dubij sint de Iniustitia Belli ex parte Violatorum sacræ libertatis, non possunt licitè bellare in fauorem eorum contra Romanum Pontificem, sacram libertatem defendentem. Caput V.



VI huius belli circunstantias attentè nõ considerauerit matureq; easdem perspexerit, facilè sibi persuadebit falsam esse propositam assertionem cum communis Theologorum sententia doceat, milites subditos alicui Principi, vel certis stipendijs ei addictos, licitè bellare posse in eius auxilium, quamuis dubitent de iustitia, vel iniustitia belli, ita docent interpretes D. Thomæ 2. 2. q. 40. art. 1. Vbi Magister Bannes dubio 6. Victoria relectione 6. de iure belli dub. 3. prop. 5. Driedo 2. de libert. Christiana cap. 6. Gabriel in 4. dist. 15. qu. 4. Maior

Comm. Theol. *D. Thom.* *Bannes.* *Victoria.* *Driedo.* *Gabriel.*

Digitized by Google

Maior ibidem q. 20. Caietanus, & Angelus verbo bellum, & Molina, de Iustitia, & Iure tractatu 2. disputatione 113. Qui omnes id probant. Maior. Caietan. & Angelus. Molina.

Primo quia id expressè docuit Diuus Augustinus contra Faustum cap. 75. & refertur in capite *quid culpatur* 23. quæst. 1. vbi ait. *Vir Iustus, si forte sub Rege homine, etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, itaut fortassè reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* D. Augustin. Faustum.

Secundò quia, vt docet Clemens iij. in cap. ad *audientiam* extra de homicidio in dubijs tutior pars, est eligenda, in prædicto autem dubio tutius est, vt milites sequantur ius sui Principis, cui sunt subiecti vel cuius stipendijs gaudent. Clemens iij.

Tertio, quia in casu, quo vxor dubia est, an iste sit eius maritus, potest & tenetur, non obstante tali dubio reddere illi debitum quousq; clarè constet de veritate, vt habetur cap. *Inquisitionis* extra de sententia excommunicationis, & cap. Dominus, extra de secundis nuptijs: Ergo etiam Miles dubitans

de

de iuſtitia ſui Principis, poterit illo iubente in fauorem eius bellare.

Quarto, quia nec pertinet ad milites examinare cauſas iuſti belli, ſed ad Principes, & conſiliarios eius, nec poſſibile eſt moraliter loquendo, quod omnibus reddi poſſet ratio de iuſtitia belli, aut quod omnes conuenirent ad examinationem eius; vnde ſicut lictor poteſt exequi ſententiam iudicis, quamuis alias dubitet de iuſtitia illius: quia non pertinet ad eum illam examinare. Ita & milites dubitantes de iuſtitia belli, licitè pugnare poterunt: cum tunc reuera ſe habeant, tanquã executores ſententiæ Principis.

Quinto, quia quotieſcunq; ſubditus præcipitur facere aliquid, in cuius exercitio, ſe habet, vt inſtrumẽtalis cauſa, in ordine ad effectum principalis agentis: tenetur obedire etiamſi dubius ſit: an prælatus iuſtè præcipiat, hæc enim eſt differentia inter cauſam principalem, & inſtrumentalem, iuxta communem Thomiſtarum ſententiam, quod cauſa principalis agit per propriam formam inſtrumẽtalis verò minimè, ſed agit mota à virtute cauſæ principalis; ſic ergo in moralibus cauſa principalis debet agere per proprium conſiliũ, & deliberationẽ inſtrumẽtalis verò

per

Digitized by Google

per consilium, & deliberationem eius, à quo mouetur. Ergo cum milites moraliter loquendo, se habeant in bello tanquam instrumenta sui Principis, non spectabit ad illos consultatio, & deliberatio iuxta mentem eorum; sed iuxta mentem Principis.

Sexto, quia existente apud milites prædicto dubio de iustitia belli, duo instant pericula, Alterum nocendi proprio Principi, non adiuuando illum in bello, alterum nocendi extraneo pugnando contra illum; sed constat clarè magis teneri militem ad vitandum periculum Principis proprij, quam extranei: Ergo licitè poterit bellare, non obstante prędicto dubio de iustitia belli.

Hæc sunt quibus præfata communis sentẽtia fulcitur, & nostra assertio infirmari videtur. Verum illa non obstante, cui nos non dissentimus, cum cæteris paribus, illa sit vera, in nostro autem casu, non sunt cætera paria, vt ex his, quæ statim subijciam, manifestè constabit. Vt tamen perspicuitati consulam, & res planior fiat, existimo dicendum, quod, cum milites sint in duplici differentia iuxta supradicta, alij extranei, alij subditi, certè si sermo sit de militibus extraneis, omnes tenentur fateri cum communi Theologorum sen

Digitized by Google

tentia, quod dubitantes de iustitia belli non possunt licitè fauere pugnantibus aduersus Romanum Pontificem, ita docent Magister Bannes 2.2.q.40.art.1.dub.6.conclus.2. Syluester verb.bellum 1. q. 9.conclus.5. & Caietanus ibidem Driedo 2. de libertate Christiana cap.6. Gabriel in 4. dist.15.q.4.art.2. conclus.4. Maior.ibidem.q.20.conclus.4. & Doctores communiter, quos refert, & sequitur Molina de iustitia, & iure tract. 2. disputatione 114. Et probatur.

Bannes. Syluester. Caietanus. Driedo. Gabriel. Maior. Comm. Doct. Molina.

Primo, quia illi non habent iustam excusationem bellandi, cum iure obedientiæ ad id non teneantur; sunt enim milites extranei, & non subditi, vnde cum ex vna parte ei non obediendo nullam illi irrogent iniuriam, atq; adeò ex hac parte nullum sit periculum, ex alia autem parte exponant se euidenti periculo faciendi alijs iniuriam, si ei obediant, ergo non possunt licitè militari.

Secundo, quia isti milites sunt liberi, & possunt non pugnare, & pugnando exponũt se periculo faciendi iniuriam alteri Principi non pugnando vero, nulli periculo se exponunt: ergo non possunt licitè se ingerere tali bello: Maximè quod, vt habetur de regulis iuris in 6. reg. 19. *non est sine culpa qui rei*

quæ

quæ ad eum non pertinet se inijcitur.

Tertiò, quia isti non subditi, licitè possunt adiuuare alium Regem, qui se defendit; ergo non licèt adiuuare aggressorem: patet consequentia: quia aliàs iam daretur bellum iustũ ex vtraq; parte.

Quartò, nam vxor, dum dubitat de morte prioris viri, non potest tuta conscientia secundum matrimonium contrahere, quia in non contrahendo nullum est periculum, in contrahendo verò est periculum iniuriæ primi viri, & nullitatis secundi sacramenti; ergo similiter miles non potest adhærere vni principi, quando est periculum inferendi iniuriam alteri, maximè, quod in dubijs tutior pars est eligenda, tutius autem est non adhærere, quàm adhærere, vt ex supradictis patet.

Scio aduersus hanc doctrinam ingens rationum agmen insurgere posse; Nam potest obijci primo, quod milites non subditi quando vocantur ad bellum, non tenentur examinare causam iustitiæ, cum nec possint omnes ad consilium vocari, nec omnibus reddenda sit, iustitiæ illius ratio: immò, nec omnibus reddi possit: vnde consuetudo habet, quod cum isti vocantur ad bellum non examinant iustitiam eius, sed examinatam

ſupponunt à vocante, illos: Igitur poſſunt prædicti milites, etiam in dubio deponere Iudicium, & adire bellum: patet conſequentia, quia ſi in dubio militare non poſſunt, manifeſtè efficitur, eſſe illis neceſſariam certam cognitionem iuſtitiæ, & conſequenter examen iuſtitiæ ad illam conſequendam.

Secundò argumentatur. Nam iſti militando non videntur ſequi, minus tutam partem; ſed æquè tutam. nam ſicut eſt dubium, an faciant actum iniuſtitiæ, ita etiam an faciant, actum iuſtitiæ, & ſi militando poſſunt materialiter damnificare partem contrariam, ita etiam poſsunt tueri ius Principis vocantis illos ad bellum, ſi fortè pro illo eſt iuſtitia, & ſi non militent poteſt ea ratione Princeps amittere ius ſuum, & præterea ipſis militibus conuenit militare, nam ex ipſo ſtipendio viuunt: ergo poſsunt ipſi eligere, quam partem maluerint.

Tertio, Nam ex oppoſito ſequitur, quod milites ſubditi, non poſſint adire bellum dubium, niſi quando ſub præcepto vocantur ad bellum, itaq; nullus ex libera voluntate poſſit adire: conſequens eſt falſum, & contra communem vſum, & præterea contra vtilitatem communem, quia ferè redderetur bel-

lum impoſſibile; Ergo Sequela probatur, quia iuxta hanc ſententiam illos tantum excuſat obediẽtia, & ius, quod Princeps habet ſuper illos. Item quia eadem ratione tutiorem partem eligerent non militando, quia ſcilicèt non ſe exponerent periculo faciendi iniuriam alicui.

Quarto, quia ſequitur, quod milites antea ſtipendiati, non poſſint militare in bello dubio, primum, quia incipiente illo bello dubio, huiuſmodi milites tenebuntur ceſſare à ratione ſtipendij, & deſerere militiam, ſicut ſi eſſet bellum iniuſtum, nam ſicut alter non ſtipendiatus, non tenetur obedire, & acceptare ſtipendium, Ita etiam iſte non tenetur continuare ſtipendium, quia eiuſdem ſunt rationis, & etiam eſt liber in huiuſmodi continuatione: Dices quod per ſtipendium prius acceptum ſe obligauit ad militandum toto hoc tempore; quia ſe obligauit ad militandum tempore belli, & vt ad id parati ſint ſtipendiantur. Sed contra, nam miles ſolum potuit ſe obligare ad id, quod iuſtè facere poteſt: ſed miles non ſubditus, non poteſt iuſtè militare in caſu dubij; ergo non potuit ſe ad hoc obligare per ſtipendium prius acceptũ, ſicut non potuit ſe obligare ad militandum

in bello clarè iniusto. Nam secundum hanc sententiam respectu militis non subditi, idem est bellum iniustum, & dubium, sicut idem est, quantum ad speciem peccati, peccare, & exponere se periculo peccandi.

Quinto, quia in bello dubio, licitum est extraneis, vt omnes fatentur vendere Principi arma, & alia necessaria ad bellum. Ergo etiam licèt eisdem militare; nam sicut hoc secundum est cooperari ad bellum, ita & primum. Dices esse disparem rationem, quod militare est immediatè inferre damnum hostibus: vendere autem arma per se non est damnificare alium. Quod si postea sequitur damnum, hoc prouenit ex vsu aliorum, sed contra est, quia hoc est valde metaphysicum, moraliter enim hic, & nunc magis fortasse, vel tantum cooperatur, qui dat arma, quam qui militat, & ideo certum est, non licere vendere arma militanti cum clara iniustitia.

Ac tãdem sexto, tum quod militibus non subditis, licèt hortari subditos, vt iuuent suũ Principem. Ergo etiam licebit eisdem illum iuuare. Tum quod quando causa litis est dubia licitum est Aduocatis defendere vtranque partem, ergo etiam in bello dubio licebit

bit nō subditis iuuare vtramq; partem.

Verum hæc omnia, neq; infirmant nostram assertionem, neq; ei aliquid obstant. Non primum, quia licèt prædicti milites vocandi non sint ad consilium Principis, neque omnibus iliis reddi possit ratio de iustitia belli, ipsi tamen ex obligatione iustitiæ, ne contrarius nocentem pugnent tenentur à sapientibus inquirere de certitudine iustitiæ ex parte principis à quo vocantur. Non secundum quia licèt fortè re ipsa iustam partem tuendam accipiant, ad id tamen nullo iure stringebantur, tenebantur tamen non damnificare partem cōtrariam, & huius damnificationis periculo se exponunt, quia fortè iustitia tenet se ex parte Principis aduersarij. Non tertium, quia non solùm subditos excusat obedientiæ præceptum, sed subiectio, & seruitus habitualis, quam habent ad suum Principem, licèt aliàs sub pręcepto non vocentur ab eo. Non quartum, quia benè respondetur ibi, nec replica quidquam colligit, quia Milites antea stipendiati per stipendium fiūt subditi, & ratione talis stipendij possunt se obligare ad obediendum in his omnibus, in quibus proprij subditi iustè possunt obedire. Nō quintum propter disparitatem rationis,

Digitized by Google

quia actus oſtendendi arma prædicto Principi per accidens,& non ex intentione damnificat Principem contrarium: nec ad vendentem arma, pertinet inquirere de iuſtitiá Principis,ementis illa,actus autem militandi contra Principem contrarium,directè tendit ad damnificandum illum, quod tamen ipſe vitare tenebatur, & certior fieri de iuſtitia Principis vocantis illum. Non tandem ſextum,quia multa licet hortari, quæ non licet hortanti facere, cuius penè infinita ſunt exempla in materia morali.Ad illud etiam de Aduocatis dicendum eſt, quod quando eſt cauſa dubia,illud medium eſt ordinatum, vt manifeſtetur, ad quem pertineat hæreditas:tamen iuuare in bello dubio,quando bellum eſt aggreſſiuum (de hoc enim agimus) non eſt medium, vt ille,qui habet ius,poſſit conſequi rem ſuam, quia anceps eſt, & varius euentus belli, quare tunc ſtante prædicto dubio, ſolùm licet iuuare poſſeſſorem: ex quo apertè efficitur,milites extraneos vrgente apud eos prædicto dubio, ſolùm poſse iuuare Pontificem,non aduerſarios eius,quia ipſe eſt in poſseſſione libertatis Eccleſiaſticæ, quàm defendit: ipſi tamen non ſunt in poſseſſione eorum, quæ prætendunt habere contra

contra sacram libertatem; prout latè ostendimus in libris nouem pro sacra libertate tuenda, vnde rectè Petrus Bellinus, de re militari 2. part. tit. 2. n. 4. loquens de prædictis militibus extraneis, & alienigenis ait. *Caueant igitur voluntarij milites, cuiusmodi maxima pars est hodie, ne se ponant in discrimine; non tàm propter periculum amissionis actionis, quod hodie non est in vsu; quam propter periculum animæ, cum non liceat, (vt dixi) seruire in bello iniusto; vtanturq; potius consilio Alciat. in l. neminem Cod. de sacro. eccle. dum hortatur, vt infructuosam deserant militiam; potius quam furari, & Deo displicere, quod vtinam ne prædicemus surdis;* Hæc illæ. Atq; hæc de militibus extraneis. Si autem loquamur de subditis, sibi dicendum etiam esse reor lethaliter peccare iuuando pugnantes in bello contra Pontificem, quia tametsi verum sit per se loquendo licere subditis iuuare suum Principem, quãuis apud eos dubia sit iustitia belli (prout communiter tradunt Theologi in principio huius capitis supra relati;) Tamẽ hic, & nũc tres circunstantiæ concurrunt, quæ omninò impediunt ad licitè fieri posse. Prima circunstantia est, quia bellum hoc est contra sum-

Petrus Bellin.

Alciatus.

summum Pontificem defendentem iura Ecclesiæ:nec aliud intendentem, quam defensionem & conseruationem sacræ libertatis, & Patrimonij Christi Domini. Tale autem bellum contra Pontificem iniustum est absq; dubio, vt tradit Syluester verb.bellum 1.q.4. vbi ait: *Si Imperator contra Ecclesiam mouerit bellum, subditi eius non tenentur obedire bellando contra illam, vt dictum est: imò indicendo contra eam bellum, meretur perdere priuilegium indicendi, cum eo abutatur, vt constat ex 21.q. 3. cap. priuilegium, & docet Ioannes de Lignano tractatu de bello, si verò Papa mouet contra Imperatorem schismaticum, Hæreticum, vel aliàs vsurpantem iura Ecclesiarum: omnes fideles tenentur Papam iuuare, & Vaßalli Imperatoris absolui possunt à iuramento, quo tenentur, vel declarari non teneri, vt constat ex 15.q.6. cap. nos sanctorum, & cap. iuratos 28. q. 6.* quod idem docet Ioannes de Lignano ab eodem Syluestro relatus, qui addit: *Tu pondera, quia idem tenet Dominus Abbas in capite sicut. Et infra de iureiurando in 6. collatione, & vide textum in capite venerabilem de elect. & in cap. pro human. de homicid. vide etiam Doctores in cap. ex gestis de Clericis non residentibus, & fa-*

Syluester.

Ioan. de Lig.

Ioan. de Lig.

Abbas.

Doctores.

& facit hodie, quod habetur in extrauaganti Bonifacij, quæ incipit. Vnam sanctam. Extr. Bonif.

Secunda circumstantia est, quia communis est Iuristarũ sententia asserentium, quod bellante inferiore contra superiorem, subditi inferiores tenentur iuuare superiorem existente dubia iustitia belli: ita tradit, & probat Franciscus Arias de bello n. 188. vbi sic ait Arias. *Concurrentibus mandatis talis Domini, & ipsius Regis, cuius sunt generalis Iurisdictionis ad diuersa secundum eundem Ioannem de Lignano tenentur iuuare Regem; quia maius tribunal, ad quod sunt vocati, est præferẽdum ex cap. si Episcopus 18. distinctione, & quia vocati sunt à Rege pro Coronæ defensione, & sic bono communi vnde Iure gentium obediendum est ex dicto capite fortitudo* Idem docet Mar. Lauden. tractatu de bello q. 40. quæ Mar. Lauden. incipit, si Baro. vbi dicit, quod non excusat vassallum pæceptum Domini sui, vt latè ibi probat, subscribunt Speculator tit. de feud. Speculator. §. quoniam vers. 14. quæritur, & Petrus Bellinus de re militari par. 2. tit. 3. n. 11. Quicquid dicat Iacobus à Sancto Georgio ab eodem relatus. Cum igitur Summus Pontifex sit superior omnibus principibus, non solum directè in spiritualibus, sed etiam, vt aiunt in tem-

Petrus Bellin. Iacobus à Sancto Georgio.

Digitized by Google

in temporalibus quantum opus fuerit ad dirigendos illos in finem supernaturalem, vt omnes Doctores Catholici fatentur, manifestè efficitur, quod vocante Pontifice milites in suum auxilium, & maximè pro Iuribus Ecclesiæ Catholicæ tuendis, ipsi tenentur ei obedire, & nullo modo suo Principi. Tertia circunstantia: quia quamuis Theologi pręcitati communiter doceant contra Adrianum quodlib. 2. licitum esse subditis dubitantibus de Iustitia belli iuuare suum Principem, omnes tamen vnanimi consensu dicunt, quod tales coniecturę, taliaq; argumenta possunt esse pro iniustitia belli, vt prædictum dubium non excuset subditos à peccato, vt potè ortum ex ignorantia crassa, & vincibili: vnde Magister Bannes. 2.2.q.40.art.1. dub.6. in principio ait: *certissimum etiam est, quod si causa belli sit manifestè iniusta nullus miles, etiam cõductus, potest regem iuuare in tali bello: nam lictor non potest exequi sententiam Iudicis manifestè iniustam.* hæc ille. At constat manifestissimè causam Violatorũ Sacræ libertatis, esse iniustissimã, cum pugnẽt vel pro conseruandis legibus à se conditis, vel pro alijs iniquis iuribus, Sacram Ecclesiæ libertatem mirum in modum labefactantibus

Mag. Ban.

tibus; Ergo si militibus quoquo modo dubium suboriatur, de Iustitia belli sui ex parte sui Principis, id erit ex ignorantia valde crassa. Nam, vt minimum hoc omnes percipiunt Summum Pontificem, & Senatum Cardinalium, & grauissimos Theologos, & Iurisperitos damnare leges, statuta, & quæcunq; alia præsumpta Iura, quæ Ecclesiasticã libertatem lædunt, tãquam cum Iure naturali Diuino, & Canonico pugnantia, quod si contingat quesdam Theologos, & nonnullos Iurisperitos in contrariam sentẽtiam ferri Balaam mercede corrupti, nihil prorsus refert, cum nemo sanæ mentis sit, qui non agnoscat, in controuersijs concernentibus conscientiam animæ, præferendam esse sententiam Summi Pontificis, & Senatus Cardinalium, sententiæ cuiuscunq; Principis, aut cuiuslibet alterius communitatis. Quæ omnia non parum illustrant optima verba Molinæ de Iustitia, & Iure tractatu 2. dispositione 113. Vbi ait *Quando eiusmodi adessent inditia, & rumores, de iniustitia belli, hac ipsa suadente subditos non debere, se committere Principis diffinitioni, deberent aliunde inquirere, & præscrutari rem, prout quisq; commodè posset, alioquin ignorãtia esset quasi as-* Molina.

si affectata nolentes intelligere, vt bene agerent, quæ sanè, nec à culpa, nec à restituendi onere excusaret; aliàs qui ad Iudeorum, *& Pilati Imperium Christum comprehenderunt iniurÿs affecerunt, at crucifixerunt, excusarentur à culpa, quod nulla ratione est dicendũ.* Deniq; aliam circumstantiam ad supradicta addere possumus ex Papa Vrbano II. ad Godefredum Lucanum Episcopum, quia bellum contra excommunicatos iustè geritur ab Ecclesia atq; adeò iniustè ab illis contra Ecclesiam, vt habetur 23. q. 5. cap. excommunicatorum Vbi Pontifex ait *Excommunicatorum interfectoribus, prout in ordine Ecclesiæ Romanæ didicisti modum congruè satisfactionis iniunge; non enim eos homicidas arbitramur, quos aduersus excommunicatos zelo Catholicæ Matris Ecclesiæ ardentes aliquos eorum trucidasse contigerit &c.*

Papa Vrbanus II.

Quid

Digitized by Google

Quid intersit inter Bellum Violatorum Sacræ libertatis contra Pontificem, & Bellum Pontificis contra eosdem, Testimonijs Sacræ Scripturæ, & Diui Augustini palam fit. Cap. VI.



VM in primo libro de iustitia belli ex parte Sũmi Pontificis contra Ecclesiæ iura violantes, & in secundo de Iustitia ex parte eorum cõtra Pontificem copiose disputauerim; facilè inde colligi posse arbitror, quod inter vtrunq; bellum intersit, cum illud pium, hoc impium, illud sacrum, hoc sacrilegum, illud laudabile, hoc detestabile, illud mirificè commendandum, hoc valde execrãdum multipliciter ostenderim, nihilosecius: tamen quia res (adhibitis exemplis) manifestior fiet; placet quibusdam sacræ scripturæ, & Diui Augustini testimonijs, eam illustrare. Ipse ergo scribens ad Bonifacium Comitem sic ait: *Si Ecclesia vera est, ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit. quæratur ab Apostolo, quam Ecclesiam significabat Sacra, quando persecutionem faciebat Ancillæ* D. Augustin.

libe-

liberam quippe matrem veram cœlestem Ierusalem, idest veram Dei Ecclesiam in illa muliere dicit esse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus: magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam Sara illam coercendo. Illa enim Dominæ faciebat iniuriam: ista imponebat superbæ disciplinam. Deinde quæro, si boni, & sancti viri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur: cuius putant in Psal. vocem
Psal. 17. *esse vbi legitur: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Ergo si verum dicere, vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt Ecclesiæ Christi, Impij, ista nanq; beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam, illi vero miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam: proinde ista persequitur diligendo, illa sæuiendo; ista vt corrigat, illa, vt euertat; ista vt reuocet ab errore, illa vt præcipitet in errorem;* Hæc Diuus Augustinus, quæ quam aptè ostendant, quid intersit inter persecutionem bellicam Pontificis contra violatores sacræ libertatis, & eorum contra Pontificem, nemo est, qui non videat, Sara enim est Ecclesia, quæ iustè persequitur ancillam, nimirum gentem,

aut

aut Rempublicam Ecclesiæ libertatem lędentem, & vicissim Ancilla Dominam perperã persequitur, sacrã eius libertatem diripiens. Idem etiam Diuus Augustinus contra Petilianum, & refertur 23.q.3.cap.pro membris. aliam egregiam similitudinem adhibet huic argumento valde consentaneam, sic enim ait: *pro membris Christi aduersus vos seuiunt, & vobis resistunt quicunq; in Ecclesia, eo animo sunt, quo tunc Petrus fuit, cum ferrum pro Christi nomine strinxit. Sed multum interest inter vestram persecutionem, & istorum, vos similes estis seruo Sacerdotis, quia seruientes Principibus vestris aduersus Ecclesiam Catholicam, idest aduersus Corpus Christi armamini, isti autem talis sunt, qualis tunc Petrus fuit, qui pro Christi Corpore; idest pro Ecclesia etiam corporaliter pugnauit* Hæc idem Diuus Augustinus. Quibus quid intersit in bello inter Summum Pontificem, & eius aduersarios adamusim ostendit, Petrus enim qui Primus omnium Pontificum fuit ad viuũ refert Pontificem Romanum eius Successorem, seruus autem sacerdotis Malchus nomine; violatorem sacræ libertatis egregie repræsentat nam sicut ille sacrilego ausu sacram immunitatem diuinitus institutã viola- D. Augustin.

I uit

uit in perſonam Chriſti manus violentas inijciens, vt eum comprehenderet; ita Princeps perſonas ſacras comprehendens, & in carcerem mittens, aut alijs Eccleſiæ Iuribus derogans: multipliciter ſacram libertatem violat: Illud ergo quod interfuit inter zelum, & pugnam ex parte Petri, contra Malchum, & ſacrilegam audaciam Malchi, contra Chriſtum: idem planè intereſt inter bellum Romani Pontificis aduerſus Principem ſacrę libertatis violatorē, & bellum illius aduerſus Romanum Pontificem. Ac tandem hoc idem diſcrimen facilè venari poſſumus ex bello Dauidis contra Abſalonem infidelem eius filium, qui cum ab eo multa bona accepiſſet, contra eundem vexillum erigere non dubitauit. Immò id etiam haud difficile deprehendemus ex bello eiuſdem Dauidis contra
1. Reg. 17. Goliath. 1. Reg. 17. cui ipſe dixit *tu venis ad me cum haſta, gladio, & Clipeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei Iſrael, & dabit te Dominus in manu mea* quæ verba non immerito vſurpare, ſibi poteſt Summus Pontifex aduerſus Principem ſacræ libertatis violatorem contra ſedem apoſtolicam pugnantem.

DE

Digitized by Google

DE DAMNIS, QVÆ BELLO ſanctè, & licitè inferre poteſt Romanus Pontifex Eccleſiæ Iura Violantibus.

LIBER TERTIVS.

Tuta conſcientia poſſe Romanum Pontificem, prout expedire iudicauerit ad comparandam Victoriam, Milites infideles vocare in auxilium ſuum contra quoſcunq; Sacræ Libertatis violatores. Cap. I.



Idebitur fortaſſe alicui, non eſſe ſacris literis conſentaneã propoſitam aſſertionem. Tũ quia Paralipomen. cap. 16. Sacra Scriptura, non parum carpit Regem Aſſa, eo quod aduocauit exercitum Syriæ in auxilium ſuũ contra Regem Iſrael, vnde Propheta dixit ei: *Stultè igitur egiſti, & propterea aduerſus te bella conſurgent*; Tum ex cap. 25. eiuſdem libri; vbi dicitur, Amaſiam voluiſſe educere cõtra Idumeos exercitum Iſrael, & dixit Do-

Paralipom.

ibid.

minus ad eum: *O Rex ne egrediatur tecum exercitus Ifral; non enim Dominus, cum Ifrael.* At non eft Dominus fimiliter, cum infidelibus, & turcis; Ergo non poffunt in auxilium vocari. Tum ex cap. 20. eodem etiã lib. vbi dicitur quod Iofaphath Rex Iuda, amicitiam contraxit cum Ochozia Rege Ifrael impio, & dixit Dominus ei per Prophetam *Quia habuifti fœdus cum Ochozia percuffit Dominus opera tua, contritæq; funt Naues, nec potuerunt ire in Tarfis.* At non poffunt adduci infideles nifi inito, cum eis fœdere: Ergo cum hoc fecundum prohibuerit Deus, etiã cenfetur prohibuiffe primum, quod fine hoc ftare non poteft. Tum quia, vt habetur capit. 19. ibidem, Iofaphath Regi dictum fuit, *impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, idcirco iram Domini merebaris.* Vnde Diuus Thomas 2. 2. q. 186. art. 10. ad 2. docet prædictum Regem peccaffe, non ex malitia, fed ex infirmitate humanæ affectionis. Tum tandem quia iuxta Doctrinam Diui Pauli, ab omni fpecie mali abftinendum eft; quod maximè incumbit fummo Pontifici, qui debet effe vniuerfo gregi forma, & Regula bene operandi.

ibid.

Paralip.

D. Paulus.

Ve-

Digitized by Google

Verum his nõ obſtantibus cõmunis Theologorum ſententia docet propoſitam aſſertionem: nimirum licitum eſſe Summo Pontifici per ſe loquendo vocare in auxilium ſuũ milites infideles, ſi id iudicauerit neceſſariũ ad victoriam contra violatores ſacræ libertatis: notanterq; dixi: *per ſe loquendo*: quia, ſicut multa ſunt per ſe, & abſolutè licita; quæ tamen, vel ratione ſcandali, vel alicuius alterius ſimilis circumſtantiæ redduntur illicita; vt, eſus carnis licitus eſt per ſe loquendo; ratione tamen ſcandali fieri poteſt peccaminoſus, vt conſtat ex Diuo Paulo ad Romanos 14. aſſerente: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Ita in propoſito, licet per ſe loquendo, ſit licitum auxilio infidelium vti in bello iuſto; per accidens tamen, ratione alicuius ſcandali; vt ſi periculum eſſet, quod ipſi peruerterent fideles, vel deuaſtarent poſſeſſiones Eccleſiæ illicitum eſſet prædictos infideles in auxiliũ vocare; In hoc ergo ſenſu intellecta prædicta aſſertione, tuentur illam cõmuniter Theologi. Diuus Ant. 3. par. tit. 4. cap. 2. §. 11. Ioannes Maior in 4. diſtinct. 15. q. 15. Caiet. 2.2. q. 40. art. 1. & alij expoſitores, cum

D. Paulus.

D. Anton.
Ioan. Maior.
Caiet.

Digitized by Google

Bannes. Bannes dub. 3. Siluester verbo bellum 1. q. 8. Syluest. concluſ. 3. & Ioannes An. ab eo citatus Mo- Ioan. An. lina de Iuſtitia & Iure tract. 2. diſputatione Molin. 112. & alij plures. Et poſſumus eam probare primo ex ſacra ſcriptura. Nam vt conſtat ex primo Machabeorũ 8. Iudas Machabeus Machab. iniuit fœdus cum Romanis, vt ad inuicem ſe iuuarent, quod fœdus magis ſtabiliuit, & confirmauit Ionatas Frater eius cap. 12. & ibid. rurſus Simon cap. 14. Nec refert dicere Ma- ibid. chabeos non vſos fuiſſe Romanorum auxilio aduerſus fideles, ; ſed contra infideles, nã certè hoc pertinet ad factum ipſum. Pactum autem inter ipſos initum erat de ſe mutuo, & reciproco auxilio iuuandis in bellis iuſtis: Igitur cum tunc poſſet contingere bellum eſſe iuſtum contra fideles: etiam ad hoc extendebatur prædictum pactum.

Secũdo probatur: quia licitum eſt Principi Chriſtiano per ſe loquendo, opem ferre infidelibus in bello Iuſto, etiam ſi bellum eſſet contra Chriſtianos; Ergo à fortiori erit licitum vti eorum auxilio: Conſequentia eſt euidens, & antecedens patet, tum quia Abraham Geneſ. 14. quando liberauit Loth, ſi- Geneſ. 14. mul etiam auxiliatus eſt Regem Sodomorum, & pugnauit contra hoſtes illius, pro

quo

quo videnda ſunt quæ tradunt Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate cap. 22. & Abulensis 1. Regum cap. 28. q. 5. Tum quia, vt constat ex primo Machabeorum cap. 11. Ionatas miſit in gentem militum numerum ad auxilium præſtandum Regi Demetrio; quem conſtat eſſe infidelem. Scio poſſe dici nec Ionatam dediſſe auxilium infidelibus aduerſus fideles, ſed aduerſus infideles; ſed nihil prorſus refert hæc fuga. Tum quia vel in iuuandis infidelibus, etiam aduerſus infideles interuenit ſcandalum, & ſic etiam eſt illicitum tale iuuamen; ſicut, & contra fideles; ſi autem in neutro interuenit ſcandalum, certè in vtroq; eſt licitum; cum per id nihil aliud efficiatur, quam cooperari ad bellum iuſtum, quod eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ, atq; adeo honeſtus, & bonus moraliter. Tum etiam quia prædicta ſolutio non poteſt habere locum in facto Dauidis 1. Reg. 28. Vbi habetur præbuiſſe auxilium Achis Regi Palestinæ contra exercitum Iſraël; quod apertè fuit iuuare infideles contra fideles: ſed quia non deſunt, qui hinc etiam illuſtrem locum inficiari conantur, cum toringo in replicis illius loci: placet, & verba textus referre, & interpretationem Gloſſæ interlinearis,

D. Auguſtin. Abulenſis. 1. Reg. Machab. 1. Reg. Gloſſa.

Nicolaus de Lyra.

lib. 1. Reg.

& Nicolaus de Lyra subiungere: Sic ergo habet sacer textus in prædicto cap. 28. lib. 1. Reg. *Factum est autem in diebus illis congregauerunt Philistijn agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israel, dixitq; Achis ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in Castris tu, & viri tui: Dixitq; Dauid ad Achis: Nunc scies, quæ facturus est seruus tuus* (*scilicet, pro te contra hostes tuos*) vt explicat ibi Glosa interlinearis, cui explicationi consonat responsio ipsius Regis Achis ad Dauid, dum statim subiunxit: *Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Et Nicolaus de Lyra in commentario huius loci postquam dixerat. *videtur, quod in hoc Dauid peccauerit; quia si intendebat hoc facere intendebat pugnare contra fideles pro infidelibus, quod est illicitum, aut si non intendebat hoc, sed magis contrarium, scilicet iuuare filios Israel contra Philisteos, sicut opinati fuerant satrapæ; vt habetur sequenti capite, sic fuit falsus, & proditor intendens nocere ei, quem promittebat adiuuare.* statim post hæc subiungit. *dicendum. quod Dauid intendebat defendere ipsum Achis, cui tenebatur ex beneficijs receptis; quia Achis ipsum benignè receperat, & sic eum securum fecerat*

Nicolaus de Lyra.

à per-

à persecutione Saul, nec peccauit hoc faciendo duplici ratione, vna accipitur ex parte Achis, scilicet, si habebat iustum bellum contra Saul quod potuit esse, si Saul qui erat arreptitius à Demone, aliqua pacta fregerat, seu iuramẽta, cum Philisteis inita, quia talia sunt seruanda. Vnde Sedechias arguitur eo, quod fregit iuramentum, quod fecerat Nabuchodonosor. Alia ratio accipitur ex parte ipsius Dauid qui habebat ius in Regno Israel; Et ideo poterat illud acquirere virtute armorum facultate occurrente, & in tali bello iusto poterat licitè vti Philistinorum confortatione, & auxilio. Cogitabat enim probabiliter, quod si Philistæi haberent victoriam, Achis ei amicus, & fauorabilis eum iuuaret ad possidendum Regnum, quia habita victoria Philistęi illud regnum non possiderunt, sed in terram suam reuersi fuerunt, & Isboseth filius Saul successit in Regno, vt habetur infra. Hæc Nicolaus de Lyra, vnde Syluester eidem Liranæ sententiæ subscribens vbi supra ait: *Dauid quia habebat ius in Regno Israel, & armorum virtute poterat illud acquirere facultate oblata: licitè in tali bello vti poterat infidelium Philistinorum consortio, & auxilio, vnde posuit se ad iuuandum Achis, vt per illum*

Syluester. 1. Reg. 28.

postea

postea Regnum obtinere regressis Philistæis post victoriam ad propria. Hæc ille. Atq; hæc omnia mihi indubitata reddunt verba capitis sequentis, dũ dicitur: *Dauid autẽ, & viri eius erant in nouissimo agmine cũ Achis, dixeruntq; Princeps Philistin ad Achis: Quid sibi volũt Hæbræi isti? & ait Achis ad Principes Philistin; nũquid ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quicquam ex die, qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc?* Ex quibus verbis manifestè patet Regem Dauid fœdus inijsse cũ Achis de iuuando illum. Dicere autem (vt contendit Toringus in præcitatis replicis, Dauidem in hoc facto peccasse venialiter: friuola sanè euasio est, tum quia communiter Theologi, & Scholastici non damnant illud, immò laudant. Tum etiam quia cum materia illa esset grauissima, certè si circa eam peccatum aliquod cõmitteret, lætale esset, non veniale.

1. Reg. 29.

Toringi.

Tertio, quia si prout omnes fatentur licèt bestiarum, vt Elephantorum, Leonum, & similium auxilio, & fortitudine vti in bello iusto siuè sit contra fideles, vel infideles, apertè efficitur licitum esse, vti aduersus eosdem auxilio infidelium Militum, nec iuuat respondere

dere esse dissimilem rationem, quia cum animalia sint expertia rationis, non est in illis periculum peruersionis, quod imminet Catholicis ex communicatione cum infidelibus: hoc (inquam) non iuuat, quia illud periculum non necessario consequitur ad prædictam actionem; sed per se loquendo, potest esse sine illo, vnde Catholicissimus Imperator Carolus V. vsus fuit auxilio infidelium cõtra fideles de grauissimorum Theologorũ consilio, cũ aduersus Gallos induxit milites germanos, qui tunc erant infideles Lutherani, & simile, quid per multi alij Christianissimi Principes factitarunt. Carol. V. Imp.

Ad testimonia autem in contrarium adducta multipliciter occurrere possumus. Nã primo respondeo cum D. Ambrosio oratione de obitu Theodosij, & D. Chrysostomo homil. 1. Imperfecti super Matthæum, & Abulensi super eundem cap. 16. q. 17. Assa peccasse eo quod collocasset omnem suam victoriæ spem in auxilio Regis Syriæ, cum alias in Domino eam collocare debuisset, cuius ope paulo ante ingentem Aethiopum exercitum expugnarat, vt constat ex eodem libro cap. 14. deduciturq; hæc solutio ex cap. 16. circa finem, vbi mentio fit de diffidentia illius, D. Ambros. D. Chrysost. Abulensis.

lius,

D. Ambros. lius, prout obseruauit D. Ambrosius in commentario super Epistolam ad Romanos c. 3. versans illa verba *non est requirens Deum*.

Secundo respondeo prædictos Reges de quibus in præcitatis locis, peccasse præstando, vel petendo auxilium ab infidelibus eo, quod inde oriebatur scandalum in populo Dei, ac detrimentum diuini honoris; in quibus casibus iam diximus cum communi Theologorum non licere auxilium petere ab infidelibus, licèt aliàs id licitum sit per se loquendo. Tertio respondeo, quod quando Theologi dicunt licere, vti auxilio infidelium in bello iusto contra fideles id intelligi debet, vt aduertit Syluester verbo bellum primo q. 8. existentibus ipsis infidelibus pacificis non habentibus bellum actiuum, nec passiuum nobiscum, & vrgente necessitate. Ex harum ergo conditionum defectu potuerunt prædicti Reges peccasse auxilium mutuantes ab infidelibus. Hac tamen vera, & catholica doctrina in discursu huius capitis tradita nollem principes abuti, falso sibi blādientes in quocunq; bello iusto aduersus alios principes Christianos, licitum sibi esse infideles milites in auxilium suum vocare, non enim semper, quod adest iusta causa belli,

Syluester.

Digitized by Google

belli id licèt, ſed quando illa ſubſiſtente, & adhibitis alijs medijs, aliter victoria obtineri non poteſt, quam per vocationem illorum in auxilium ſuum: ne tamen Principes in hoc facilè decipiantur oporteret eos in tali caſu Sedem Apoſtolicam conſulere, vt iudicio ſummi Pontificis diſcernatur, liceat tunc, & expediat, an non, infideles in auxilium ſuum vocare contra alium Principem.

Inchoato iam bello, quantumcunq; violatores ſacræ libertatis, ſatisfactionem offerant Summo Pontifici, non tenetur illam acceptare ex Iuſtitia, ſecus tamen ex Charitate. Caput II.



On me latet quoſdam grauiſſimos Doctores partem contrariam huius aſſertionis defendere hi ſunt Sapientiſſimus Suarez 2. 2. non dum prælo mandata q.40.art.1.dub.6. Sylueſter relatus à Bannes ibidem dub. 8. & partim in eam propendet, Molina tractatu 2. de Iuſtitia diſputatione 103. eamq; ſequuntur pleriq; Neoterici: poteſtque probari primo aucto-

Suarez. Sylueſter. Bannes. Molina.

auctoritate D. Augustini nam iuxta eius sententiam lib. 6. super Ioannem cap. 10. *Iuxta bella dici solent, quæ vlciscuntur iniurias* ex quo apertè constat solam iniuriam illatam, esse iustam belli causam; At cum condigna, & plena satisfactio offertur; nulla est iniuria cum ex æqualitate ab offensore compensetur, ergo deficit omnino iuxta ratio belligerandi. Idem etiam August. lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 15. & habetur 23. q. 1. Canone noli. *Bellum gerere (ait) malis videtur fœlicitatis; bonis vero necessitatis*; At oblata sufficienti satisfactione, cessat necessitas bellandi ergo iniustũ erit tunc bellare.

Secundò probatur, quia post victoriam partam, non potest Princeps offensus, quiddam iustè accipere vltra condignam satisfactionem: ergo quantumcunq; inchoatum sit bellum, si verè illi offertur sufficiens, & plena satisfactio, nõ poterit vltra procedere.

Tertiò, quia qui habet iustam causam belli, censetur Iudex alterius, quasi per accidens, eo, quòd non est recursus ad superiorem secularem, qui componat litem, & compenset iniuriam; ergo quãdo renuit acceptare condignam satisfactionem; iam non procedit, vt iudex auctoritate publica, sed po-

tius

tius auctoritate priuata, & consequenter bellum non erit iustum.

Quarto, Nam si ex cõsensu partium crearetur aliquis Iudex arbiter inter Principes litigantes: certè secundum iustitiam iudicaret, si compelleret alterum, vt condignam satisfactionem sibi oblatam reciperet; sed sic est quod Princeps læsus tunc est Iudex: ergo tenetur proferre hanc sententiam.

Quinto, quia post oblatam condignam satisfacticnem, Princeps, qui illam offert, iustè se defendit, quia iam facit, quod in se est offerendo satisfactionem debitam, & quam rationabiliter offerre potest, nec enim tenetur se, & omnia sua hostium voluntati offerre: ergo alter illum iniustè aggreditur, vel certè dabitur bellum iustum ex vtraq; parte, quod seclusa ignorantia repugnat.

Sexto tandem, tum quod Principe acceptante tunc satisfactionem condignam sibi oblatam, innumera vitantur mala vtriusque Reipublicæ: tum nam iuxtà Regulam 15. de Reg. Iur. *pænæ sunt restringendæ*. Sed pœna belli est maxima; Igitur restringenda est ad casus in quibus non offertur condigna satisfactio.

Verum his non obstantibus nostram assertio-

Caietanus. Bannes. ſertionem tuentur Caietan. in ſumma verb. bellum punct.3. Magiſter Bannes 2.2. q.44. art.1.dub.8.concluſ.2. & ibidem alij expoſitores Diui Thomæ; ſubſcribit etiam Molina de Iuſtitia tract. 2. diſputatione 103. ad finem, & mihi videtur omninò certa. Primo, & à priori, nam Pontifex habens bellum iuſtum inchoatum, gerit perſonam Iudicis, & prælium ipſum eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ quæ eſt propria Iudicis, vt docent D. Thomas, & Caietanus 2.2.q.108. art. 1. & 2. Et inſuper etiam procedit criminaliter ad vindictam, cum procedat ad mortem, & ad damnum rerum mobilium, & immobilium: at Iudex procedens criminaliter eſt omnino certum, quod punire poteſt malefactorem, quantumcunq; aliàs offerat illi condignam ſatisfactionem: ergo incepto bello non tenetur illam acceptare, & explicatur magis vis huius rationis. Nam Princeps indicens bellum habet vicem Iudicis exercentis actum iuſtitiæ vindicatiuæ, & ſic incepto bello iam eſt factus Dominus cauſæ, atque adeò in poteſtate eius eſt vſque ad finem illam perducere, violator autem ſacræ libertatis contra quem infertur iuſtum bellum, eo ipſo, quod ante belli inchoationem noluit debitam exhibere

D. Thom. Molina.

D. Thom. & Caietanus.

Digitized by Google

hibere Ròmano Pontifici satisfactionem, constituit se extra statum satisfactionis, & mansit in statu satispassionis, (vt dicunt Theologi) seù in statu exequendæ, & suscipiendæ in se iustitiæ vindicatiuæ. Vnde si rem alta mente perpendamus satisfactio ab eis oblata, vtpotè inuoluntaria, & per vim coactiuam belli exhibita, non immeritò satis passio reputari potest. Vnde dicendum esse reor, quod sicut quando quis factus est seruus in bello iusto, quantumcunq; offerat sufficientem satisfactionem Domino, non tenetur Dominus illam acceptare, & eum manumittere: ita certè, cum inchoato bello Princeps sit iam constitutus Dominus causæ in potestate eius erit prosequi bellum. Scio quosdam Doctores respondere posse ad hæc omnia, esse magnum discrimẽ inter Iudicem ordinarium, & Principem, bellum gerentem aduersus alium, quod Iudex ordinarius potest punire reum, secundum totum iuris rigorem quoniam sic expedit sæpè ad bonum commune Reipublicæ, cui ipse potissimum consulere debet tanquam custos illius: Princeps verò in casu belli non est Iudex ordinarius & per se, sed occasionaliter ad prouidendum bono suæ Reipublicæ, & ideo oblata

ſufficienti ſatisfactione, non poteſt vlterius procedere, quia tandiu poteſt bellum gerere quamdiu aliter ſatisfactionem accipere non poteſt. Verum hanc ſolutionem eſſe inſufficientem id mihi perſuadet. Tum quod Princeps, & maximè ſummus Pontifex, qui ſuperiorem non habet in terra, non per accidens, ſed per ſe habet ius vindicandi iniurias ſibi, & Eccleſiæ illatas, vt rectè notauit Molina de iuſtitia tractatu ſecundo diſputat. 103. Tum etiam, quia tametſi gratis concederetur ſubire per accidens rationem Iudicis in defectu ſuperioris, qui Rempublicam illam puniret: nihilominus, eo ipſo quod non datur talis ſuperior, habet ius puniendi eadem pœna qua punire poſſet ſuperior, cum re vera gerat vices illius. At ſuperior proprius qui eſt Iudex ordinarius poſſet procedere ad ſupplicium, & pœnam, nulla prorſus admiſſa ſatisfactione; ergo incepto bello non tenetur Pōtifex admittere ſatisfactionem ſibi oblatam ab aduerſario, quæ omnia intelligenda puto de obligatione iuſtitiæ: nam ex charitate ſæpè contingere poteſt, vt adnotarunt præcitati Doctores, & ante illos Driedo 2. de libertate Chriſtiana cap. 6. obligari Principem attentis certis circumſtātijs loci temporis

Molina.

Driedo.

poris personarum ab inchoato bello desistere.

Ad argumenta autem in contrarium duplici solutione satisfaciam. In primis dico, quod si per impossibile omnimoda securitate offerretur Pontifici integra, ac plena illa satisfactio, quàm is, qui iustum bellum gerit potest de summo rigore iustitiæ exequi, itaut ad mortem traderentur quotquot ea illuc vsque essent digni, & persoluerentur belli impensæ, & resarcirentur damna illata, certè teneretur Pontifex ex iustitia à bello desistere, siue copiæ essent in actuali conflictu, siue non, & hoc probant omnes illę rationes, nec nos id negamus. Nam in tali casu cessat iniuria aduersariorum, & pro iniuria præterita, nihil amplius per seipsum exequi potest, quam hæc ipsa, quæ ei offeruntur etiam si integrè omnia belli iura persequi velit. Tamen quia moraliter loquendo (prout in rebus moraliter exequendis opus est loqui) impossibile est, vt compensatio quàm de toto rigore iustitiæ potest Pontifex iustè exequi, ei offeratur ab hoste, nam ad id contingere posset, oportere multos sanctæ inquisitionis tribunali puniendos tradere, alios morte mulctare, alios etiam Primates digni-

tatibus priuare, Episcopos ab officio, & beneficio suspendere, & alia multa his similia exequi, quæ tamen nulla ratione sacræ libertatis violatores exhibebunt; prout per se euidens est moraliter loquendo, ideo simpliciter dicendum est, vt egregiè adnotauit Molina; vbi supra; non teneri ex iustitia Pontificem, etiam post inceptum bellum quantumuis ab actuali conflictu cessatum sit, à bello desistere, Deinde respõdeo, quod cum iam bello inchoato non sint hostes in statu satisfaciendi: sed satis patiendi, rectè potest Pontifex, vel Princeps, qui tunc iudex est sumere vindictam de illis ad finem vsq; bellum perducens, ex quo etiam efficitur ex parte ipsorum non esse iustum bellum, nam sicut reus iustè damnatus ad mortem tenetur pati sententiam, & non se defendere à ministris Iustitiæ; ita hostes tenentur se submittere voluntati Pontificis, aut Principis illos iustè debellantis: damna etiam, quæ sequuntur ex prosecutione belli, non erunt imputanda Pontifici nõ acceptanti inchoato bello prædictam satisfactionem sibi oblatam, sed ipsi Principi, aut Reipublicæ quæ offenderat, eo quod debito tempore ante inchoatum bellum iustam satisfactionem, cum pos-

Molina.

set,

ſet, non exhibuerit. Ex quibus omnibus efficitur non poſſe ſacræ libertatis Violatores tuta conſcientia Pontifici eos iuſtè debellãti Ciuitatis portas obſerare. Nam (vt docet D. Auguſtinus lib. 6. ſuper Ioſue cap. 26. tomo 4. *Claudere oſtia Ciuitatis eſt armata defenſio*. D. Auguſtin.

Qua ratione liceat Ducibus Romani Pontificis inſidijs vti in bello contra Violatores Sacræ libertatis diſſertè explicatur, & obiecta in contrarium diluuntur. Cap. III.



Idebatur fortaſſe alicui nulla ratione licitum eſſe ducibus Romani Pontifici inſidijs vti in bello contra ſacrę libertatis violatores. Primo ex ſacra Scriptura. Nam Matth. 7. Dixit Chriſtus dominus: *quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, ſed nullus vellet inſidias, & fraudes ſibi parari: Ergo non eſt licitum per inſidias bellum gerere. Deuthero. etiam 16. legimus: *Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris*; Ergo cum inſidiæ ſint quædam fraudes, non poterit vſus illarum, non lædere iuſtitiam, & conſequenter non Matth. 7. Deuth. 16.

Digitized by Google

erunt in bello licitæ. Secundo quia sacra scriptura narrat. 4. Reg. 10. Iehu religionem Baal destruxisse mendacio, & veri Dei cultum dolosè propagasse, falsisq; pollicitationibus templum Baal subuertisse, & multitudinem hostium per dolos, & fraudes occidisse, & Diuus Augustinus lib. contra mendacium cap. 2. Hoc Iehu factum ex professo reprehendit, illudq; damnant etiam D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. Et Abulensis q. 25. & 26. super cap. 10. libri 4. Regum: Vnde licet sacra scriptura 4. Regum 10. laudet zelum Iehu in subuersione Baalis: media tamen ficta, & dolosa non probat. Tertio ex authoribus gentilibus, qui solo rationis lumine illustrati agnouerunt illicitas esse prædictas insidias, & maximè Principi; cum dolos adhiberi, & simulatione, & fraude agere, & vulpecularum more vti, à Regio animo, & Imperio alienum sit. Vnde Aristoteles 4. Ethicorum cap. 3. docet magnanimi, & excelsi animi proprium esse fraudes, aut fugere nullisq; thecnis capere, aut dolis obuoluere, cui consonat illud quod de Aegiptijs refert Elianus lib. 14. Historiæ cap. 34. dum ait quod *vt iustissimos, & sincerissimos Reges describerent, imaginem ex Zaphiro gemma confectam*

4. Reg. 10. D. Augustin. D. Thomas. Abulensis. 4. Reg. 10. Aristoteles. Elianus.

Digitized by Google

fectam, quam veritatem appellabant ad Regis collum appendebant in qua oculos defixos haberet, & Bizantini Imperatores (vt refert Curopalates in libello de officialibus Palatij) inter alia plura, quæ promittebant, veritatem dicturos remota omni fallacia pollicebantur. Cicero item libro 1. officiorum ait: *Fraus odio digna maiore est nullaq; totius iniustitiæ est capitalior pernicies quam eorum, qui, cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni probiq; videantur* Sed melius illo Diuus Augustinus in Psal. 63. *simulata æquitas, non est æquitas sed duplex iniquitas.* Ac tandem Sophocles in Philoctete Pirrum Regem commendat, quod minimè subdolum ingeniũ habuisset, Vlissem vero vituperat, quod fallacijs, & fraudibus vteretur, & Liuius lib. 42. ait: *Marcius, & Attilius Romam, cum venissent legationem in Capitolio ita renunciarunt, vt nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias, & spem pacis Persa. Hæc vt summa ratione acta, magna pars Senatus approbabat: veteres, & moris antiqui memores negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes, non per insidias, & nocturna prælia, nec simulatam fugam, improuisosq; ad incautum hostẽ reditus.* Et pau-

Curopalates. Cicero. D. Augustin. Sophocles. Liuius.

lulum inferius: *Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarũ, nec calliditatis Græcæ apud quos fallere hostem quam superare gloriosius fuerit: Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neq; arte, neq; casu, sed collatis cominus viribus iusto ac pio bello esse superatum hæc seniores, quibus noua hæc, minus placebat sapientia: vicit tamen ea pars senatus, cui potior vtilis quam honesti cura erat.* Hactenus Liuius. Ex quibus omnibus videtur apertè colligi non licere Pontifici insidijs vti in bello contra violatores sacræ libertatis.

Verum contrariam sententiam, cui nostra assertio subscribit tuentur communiter Sancti Patres, & grauissimi Theologi, continuo à me referendi. Nam D. Augustinus, prout refertur capite Dominus 23. q. 2. ait; *Dominus noster iubet ad Iesum Naue, vt constituat sibi retrorsum insidias, idest insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus: hic admonemur* (scilicet Iosue 8.) *hoc non iniustè fieri ab his, qui iustum bellum gerunt.* Et infra. *Cum autem iustum bellum susceperit; vtrum aperte pugnet, an ex insidijs, nihil ad iustitium interest.* Et D. Hieronymus, prout habetur

D. Augustin. Iosue. D. Hieron.

22. q. 2.

22. q. 2. cap. vtilem; multis exemplis probat certis temporibus admodum vtilem esse simulationem, & concludit. *Nec mirum quamuis iustos homines aliqua simulare pro tempore ob suam, & aliorum salutem cum, & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati simulationum peccatricis carnis assumpserit, vt condemnans in carne peccatum, nos in se faceret iustitiam Dei*, & Diuus Damascenus lib. 1. parallelorũ cap. 27. Simulationes si dolo malo careãt, exemplis Rebeccæ Genes. 27. Rachelis 31. Thamar. 38. Et Sororis Moysis Exod. 2. & Samuelis qui Dei consilio ad sacrificandum, accessisse dixit 1. Reg. 16. & Micol. 1. Reg. 19. commendat, & patrum authoritate laudem promeruisse confirmat, & Diuus Thomas ex professo tractans propositam difficultatem 2. 2. q. 40. art. 3. in hunc modum eam resoluit. *Respondeo dicendum, quod insidiæ ordinantur ad fallendum hostes: dupliciter autem aliquis potest falli, ex facto, vel dicto alterius, vno modo ex eo quod ei dicitur falsum, vel non seruatur promissum, & istud semper est illicitum, & hoc modo nullus debet hostes fallere. Sunt enim quædam iura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes seruanda, vt* D. Thomas.

Am-

D. Ambros. *Ambrosius dicit in libro de officijs: alio modo aliquis potest falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum, aut intellectum non aperimus; hoc autem semper facere non tenemur, & infra subdit. Vnde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consilijs, ne ad hostes perueniant, vt patet in libro stratagematum Francorum. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est vti in bellis iusti, nec propriè huiusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec iustitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati.* hactenus D. Thomas, cui subscribunt omnes Theologi communiter ibi; Quibus addo Nicolaum de Lyra super Iosue 8. citantem ad idem D. Augustinum, & D. Ambrosium, vbi supra, cum Vegetio lib. de arte militari; addo etiam Syluestrum verbo bellum 1. q. 8. vbi ait: *vti insidijs in bello iusto licitum est indistinctè secundum glosam 23. q. 2. capite, Dominus, dummodo tamen fides seruetur, vt habetur eadẽ causa q. 1. cap. noli, & Glosa in cap. utilem 22. q. 2.* Ac tandem id probare possumus ratione, quia in insidijs prædicto modo intellectis, nõ interuenit mendacium, nec vitiosa fraus, sicut nemo Catholicus dicet interuenisse in eo quod Christus loquens

Nicolaus de Lyra. D. Augustin. D. Ambros. Vegetius. Silvester. Glosa. Glosa.

cum

cum Discipulis euntibus in Emaus *finxit se longius ire*, cum enim in prædictis insidijs,& stratagematibus nihil affirmetur,vel negetur doli iniustitia in eis locum habere nō potest. Vnde cum in bello iusto licitum sit hostes,& bona eorum ledere,licitum etiam erit prædictis insidijs eo animo vti, quibus ad comparandum victoriam facilior aditus pateat. Atq; ex his facile respondetur obiectionibus in contrarium supra adductis. Distinctio enim Diui Thomæ supra tradita, sufficienter omnia illa diluit: nam prima obiectio præsupponit falso in prædictis insidijs interuenire fraudem quod negat ibidem Diuus Thomas. Ad secundam vero dupliciter respondeo,quod licet à nonnullis Partibus factum Iehu reprobetur à Diuo tamen Hieronymo sacrarum literarum peritissimo approbatur, vt patet ex cap. vtilem. 22. q. 2. vbi hæc verba Diui Hieronymi legimus. *Vtilem simulationem, & in tempore assumendam Iehu Regis Israel nos doceat exemplum; qui, cum non potuisset interficere Sacerdotes Baal, nisi finxisset se Idolum velle colere dicens congregate mihi omnes Sacerdotes Baal: Rex Achab seruiuit in paucis; ego seruiam ei in multis*. Deinde Secundo Respondeo Iehu

D. Thomas.

D. Hieron.

pec-

peccasse in prędictis insidijs quia non solum colere Idolum intrinsecè malum est, sed & simulatum cultum ei exterius exibere, & ratione huius circumstantiæ, prædictæ insidiæ, quæ de se malè non erant turpes factæ sunt. Ad tertiam tandem obiectionem Respondeo omnia illa ibi adducta hæc duo concludere, quæ nos nulla ratione inficiamur, Primum est nefas esse mentiri hostibus in bello iusto: nam cum mentiri sit intrinsecè malum, nulla iusti belli causa illud honestare potest. Secundum est: illicitum esse frangere fidem hostibus, non stãdo iustè promissis, iusteuè, cum eisdem constitutis: Vnde Augustinus ad Bonifacium cap. noli 23. q. 1. ait: *fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur*; Verumtatem est quod (vt rectè adnotarunt interpretes Diui Thomæ 2.2. q. 40. art. 3.) si aduersarius promissis, vel cum eo cõstitutis nõ staret, nec etiã Princeps illi stare tenetur, vt (verbi gratia) si induciæ (quas treguas vocant) ad tempus essent constitutæ, & aduersarius non obseruaret, nec Princeps seruare teneretur quantũcunq; essent iuramento confirmatę quoniam tale pactum semper habet tacitè inbibitam

D. Augustin.

Interpretes. D. Thomas.

hanc

hanc conditionem dummodo aduersarius promissa non violet.

Quamuis licitum non sit in bello contra sacræ libertatis Violatores, occidere per se, & ex intentione Innocentes; per accidens tamen, & præter intentionem, iustè occidi posse communis Theologorum sententia docet. Cap. IV.



Ntequam hanc, & reliquas assertiones in hoc tertio libro mihi probandas aggrediar nonnulla præmittenda censui apprimè necessaria ad intelligentiam eorum quæ mihi infra dicenda sunt. Primo ergo præmitto triplex posse distingui damnum, quod in bello hostibus inferri solet: primum est homicidium: secundum captiuitas: tertium, expoliatio bonorum; inter quæ, nonnulla sunt immobilia, quædam mobilia; Secundò aduerto, quod in Republica violantium sacram libertatem, non omnes censentur nocentes: nam quidam sunt participes criminis; quidam arma sumunt, & bellum aggrediuntur, & hi verè sunt nocentes, alij vero sunt innocentes: & incul-

inculpati, vt pueri, quidam ſenes mulieres multæ, & alij, qui nec poſſunt arma capere, neque violantium ſacram libertatem decretis conſentiunt: ſed illa valde execrantur, & generaliter, & per ſe loquendo, vt conſtat ex cap. Nouimus de tregua & pace inter innocentes, numerantur Presbyteri, Monachi, Ruſtici, Peregrini, & Hoſpites. Veruntamen eſt quod Caietanus verbo, *bellum*. dubitat an hoc caput ſit abrogatum contraria conſuetudine: ſed re vera dicendum eſt caput illud non ſtatuere nouum ius poſitiuum, ſed ſolum explicare ipſum ius naturæ. Nam illi omnes præſumuntur innocentes, niſi contrarium conſtet, vt reuera conſtare poteſt ſi contingat Epiſcopos & Presbyteros, & diuerſorum ordinum fratres violantibus ſacram libertatem conſentire, & eorum defenſores exiſtere. Tertiò aduerto bellum hoc contra violatores ſacræ libertatis partim eſſe defenſiuum, & partim aggreſſiuum ſecundum diuerſas conſiderationes: eſt namque defenſiuum quatenus Pontifex illud gerit pro defendenda ſacra Eccleſiæ libertate multifariam multiſq; modis ab hoſtibus dilacerata: aggreſſiuum vero, quatenus per illud intendit iura, & alia perperam Eccle-

Caietan.

ſiæ

ſiæ ab eiſdem ablata recuperare, & iniurias ſedi Apoſtolicæ, & Romanę Eccleſiæ illatas; (prout oportet) vindicare, & malefactores iuxta menſuram delicti debitis ſupplicijs afficere: quamuis ergo per hoc bellum, in quantum eſt defenſiuum, ſolùm liceant, quæ præcisè neceſſaria ſunt ad defenſionem iurium Eccleſiæ, & conſequenter non liceat per illud ſub ea præcisè ratione conſideratum vindictam ſumere, vt patet proportionaliter à ſimili in bello defenſiuo priuatæ perſonæ, in quo ſolùm licèt efficere, quod præcisè neceſſarium eſt ad defenſionem: quatenus tamen prædictum bellum aggreſſiuum eſt, tria principaliter intēdi poſſunt per illud à Romano Pontifice: primum eſt reſtitutio damnorum: Secundum eſt vindicta, ſeu punitio delicti iuxta grauitatem illius in quo conſideranda veniunt, non tantum prima iniuria, ratione cuius inceptum eſt bellum, ſed etiam omnes illæ, quæ in proſecutione belli admiſcentur. Tertium pax futura reipublicæ, nam Summus Pontifex, non ſolum poteit, ſed debet ex officio ſupremi omnium Principum Principis attendere ad vitandum imminens damnum, & procurare pacem in futurum, quæ eſt præcipuus iuſti belli ſcopus

pus, & inter purè temporalia maximum Reipublicæ bonum. Quarto præmitto duo valde,certa, & indubitata apud Theologos, vnum eſt, quod omnia media neceſſaria ad conſequendos prædictos fines,quantumcunque ſint cum ingenti damno violantium ſacram libertatem,cuius modi eſt, occiſio militum; deuaſtatio bonorum mobilium, vel immobilium, & ſimilia omnino licita ſunt Pontifici in hoc bello. Nam vbi finis eſt licitus, conſequens eſt licita eſse omnia media præcisè neceſſaria ad conſecutionem talis finis: alterum eſt damna non eſse inferenda abſq; moderamine iuſtitiæ commutatiuæ, vindicatiuæ, & legalis, nam omnes iſtæ ſuo modo concurrunt in bello. Satisfactio enim pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, & ideo debet cum æqualitate fieri; punitio deinde delicti pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam à qua debet regulari, vt iuxta menſuram delicti ſit, & plagarum modus. Prouidentia tandē de pace in futurum conſeruanda,pertinet ſuo modo ad iuſtitiam legalem, vt ſolùm id fiat,quod neceſsarium iudicabitur ad commune bonum Eccleſiæ Romanæ.

His ergo ſic prælibatis oportet iam accedamus ad probationem noſtræ aſsertionis in

cuius

Digitized by Google

cuius prima parte dicebamus non esse licitum in hoc bello per se directè, & ex intentione occidere eos, qui innocentes sunt. Ita testantur communiter Theologi 2. 2. q. 40. art. 1. Driedo lib. de captiuitate, & redemptione generis humani tractatu secundo. Victoria relectione 6. de iure belli, num. 35. & 36. Molina de iustitia tractatu 2. disput. 119. Syluester verb. bellum 1. qu. 10. conclus. 3. Gabriel in 4. dist. 15. q. 9. art. 1. conclus. 4. Maior. ibidem. q. 20. Et probatur primo ex sacra scriptura; nam Exod. 23. dicitur: *Insontem & innocentem non occides*, & Deuth. 24. *Non occidentur filij pro parentibus*. Et eod. lib. cap. 20. vbi iussit Dominus filijs Israel, vt cum per vim caperent aliquam Ciuitatem, alios interficerẽt absq; mulieribus, & infantibus: quibus omnibus edoctus Diuus Ambrosius, non alia ratione aditum Ecclesiæ interdixit Theodosio Imperatori, nisi quia apud Thessalonicam promiscuè occidisset in bello nocentes, & innnocẽtes; prout habetur 11. q. 3. cap. *apud Thessalonicam*. Et refert etiam Rufinus lib. 2. ecclesiast. historiæ cap. 18. Deinde ratione probatur, tum quia fundamentum iusti belli est iniuria, sed iniuria non est illata ab innocenti-

Comm. Theol. Driedo. Victoria. Molina. Syluester. Gabriel. Maior. Exod. 23. Deuth. 24. D. Ambros.

bus;Ergo non possunt directè,& ex intentione occidi, tum quia nullus est dignus ea pæna,quæ non datur nisi propter culpam: Igitur cum innocens non sit in culpa, non erit afficiendus pœna mortis,quam constat non posse iustè per se & directè dari nisi propter culpam. Tum nam alias esset bellum iustum ex vtraq; parte cum innocentes iustè se possint defendere: Igitur si per se directè licitè possent debellari, vtrinq; bellum esset iustum. Tum tandem, quia in propria Republica nefas est interficere innocentem pro peccato alterius; Ergo nec id licitum est in aliena: cum id, quod intrinsecè malum est, nulla ratione honestari possit.

Secundam autem partem nostræ assertionis,nimirum per accidens,& indirectè ex intentione interficiendi nocentes, licitè in hoc bello interfici posse innocentes tuentur vnanimi consensu omnes præcitati doctores, vnde dicunt,quod quando Arx,aut Ciuitas iustè oppugnatur,in qua constat innocentes aliquos cum nocentibus permistos esse, fas est mittere in eam globos, aut ignem illi supponere, vel quod vis aliud simile facere, quantumuis intelligatur per accidens, seu quod idem est, prçter intentionem id efficiētium

tium interficiendos esse aliquos innocentes. Et probatur primo, & à priori ratione supra tacta, quia in bello iusto licitum est exequutioni mandare media præcisè necessaria ad victoriam comparandam; ergo si ad hunc finem necessarium fuerit mittere bombardas in locum hostium, in quo sunt aliqui innocentes, licitum erit illas mittere, quamuis alioquin per accidens sequatur mors innocentium, vt patet à simili de muliere prægnante cui licitum est sumere medicinam necessariam ad seruandam vitam, licèt aliàs timeatur mors prolis, & similiter licèt ei fugere taurum, quamuis immineat clarè abortus, quia non tenetur cum tanto damno custodire vitam prolis, & quia illud magis est permittere mortem innocentis, quam tunc non tenetur vitare, quam causare illã. Deinde quia cum indirectè, & per accidens occiduntur innocentes, talis occisio non est militibus voluntaria, ad culpam, atq; adeo nec peccaminosa iuxta sententiam D. Augustini lib. de vera religione cap. 14. Antecedens vero probatur, quia prædicta occisio solùm est voluntaria in sua causa, quam tamẽ supposita iustitia belli non tenentur milites vitare; constat autem ex D. Thoma. 1. 2. q. 6. art. 4. D. August. D. Thom.

art.4.& q.73. art. 8. id quod quis non tenetur vitare, non esse ei voluntarium ad culpã: igitur prædicta occisio nõ est hoc modo voluntaria. Item quoniam alioquin nullum posset geri bellum iustum aduersus nocẽtes, cum semper & maximè inter Christianos: sint plures innocentes, & sic omnino periret iustitia eorum, qui iustam belli causam habent, quod neutiquam esse posset absq; ingenti iactura boni communis: imò (vt rectè dixit Molina (vbi supra) nec defendi posset Ecclesia ab infidelibus, eo ipso, quod innocentes aliquos inuitos in triremibus, aut exercitu secum ducerent, neque, qui ab his essent iniustè obsessi, possent globos, & tela in eos mittere, quibus se defenderent, eo tamen grano salis hæc intelligenda sunt, quod non esset aliud medium ad consequendam victoriam absq; occisione innocentium, nam si tale reperiretur, irrationabile esset, vtpotè contra iustitiam, & charitatem non vti illo, esset enim velle mortem innocentium sine causa, quod apertè est intrinsecè malum: vnde occisio innocentium non aliter licita censetur, nisi quando est simpliciter necessaria ad comparandam victoriam. Immò addo, quod si ad prædictam victoriam

Molin.

parum

Digitized by Google

parum conferret expugnare arcem, aut oppidum, vbi est præsidium hostium, cum quibus permisti sunt multi innocentes; tunc in ea fuerim sententia, non licere ad expugnãdos paucos nocentes, qui illic sunt, occidere multos innocentes subijciendo ignem, vel mittendo bombardas, vel quouis alio modo, quo indifferenter opprimantur innocentes. ita Victoria relectione 6. de iure belli propositione 2. n. 37. Victoria.

Quæ vtriq; parti præpositæ assertionis aduersantur, facilè diluuntur.
Caput V.



Duersus vtranq; partem probatæ assertionis obstant nonnulla necessario diluenda, & quidem contra primam posset primo obijci illud Deuther. 20. *ex his ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittas viuere, sed interficies eos in ore gladij*. quod Dominicum præceptum Iosue obseruasse in expugnatione vrbis Ierico sacra narrat Historia. Iosue 6. Idem etiam præceptum impositum fuisse Sauli in ordine ad extirpandos Amalechi- Deut. 20. Iosue 6.

tas, primo Regum legimus, cap. 15. Ergo licitum est in bello iusto occidere innocentes tanquam partem Reipublicæ nocentis. Scio respondere D. Thomam 1. 2. q. 105. art. 3. ad quartum, id factum fuisse ex diuina reuelatione, & ordinatione, propter peccatum illarum gentium. Sed contra est, nam eodem cap. 20. præcipitur etiam de alijs ciuitatibus quæ non erant procul, vt expugnata vrbe omnes interficerentur exceptis paruulis, & mulieribus: ergo licitum est in bello iusto occidere innocentes, tanquam partem Reipublicæ nocentis. At inter puberes est per se manifestum esse plures innocentes, qui nullo modo cooperati sunt ad iniustum bellum ergo licitum erat illos interficere. Respondeo in primis esse valde disparem rationem, quia bellum illud erat contra infideles, hoc vero est contra Christianos. Verum quia etiam licèt esset contra infideles, non liceret per se, & directè occidere innocētes. Respondeo secundo, in hostium vrbe, quando bellum est contra infideles, quotquot arma capere possunt rationabiliter præsumi nocentes, & ideo in prædicto loco Deuth. solùm excepti fuere paruuli & mulieres. Sed contra adhuc obijcies, quia quandoq; licitum

D. Thom.

tum est concedere militibus ciuitatem in prædam, quod Hispane dicitur *darla à saco* Italicè *saccheggiarla*, vel etiam tradere illam ferro, & igni, quia aliter à peritissimis Ducibus iudicatur non posse obtineri victoriã: quod & experientia ex facto Christianissimorum Principum manifestè patet licitum esse. Idque etiam docent Victoria dicta relectione de iure belli, nu. 52. Syluester verbo, *bellum primo* q. 10. conclus. 3. quos sequuntur interpretes D. Thomæ 2. 2. q. 40. art. 1. At tunc necesse est plures innocentes occidi: ergo licitum est in bello iusto innocentes occidere. Dices argumentum solùm conuincere id licitum esse indirectè, & per accidens, non verò directè per se, & ex intentione; sed contra, quia si hoc secundo modo fieri non potest ne aliàs seclusa ignorantia detur bellum iustum ex vtraq; parte. Idem etiam prorsus inconueniens sequitur ex primo, hoc est ex indirecta occisione innocentium. Nam ob suam innocentiam iustè se defendunt: ergo si aliunde iustè occiduntur indirectè, sanè bellum erit iustum ex vtraq; parte. Respondeo primo innocentes habere ius ad impediendum incendium Ciuitatis; aut ruinam Arcis, per alia tamen media,

Victoria. Syluester. D. Thomas.

Digitized by Google

quàm per impugnationem, per vim impedientem iustè bellantes à iure suo. Nam eo ipso quod intentarent huiusmodi vim inferre, iam inter nocentes computandi venirent. Sed melius, respondeo secundo cum communi Theologorum sententia, quod sicut non inconuenit ex ignorantia dari bellum iustum ex vtraq; parte; ita etiam illa seclusa non inconuenit dari vtrinq; iustum bellũ per accidẽs, vt cõtingit in casu quo expugnatur Arx, vbi sunt multi innocentes, nã ipsi quatenus inculpati iustè se defendunt, quatenus verò sunt partes Reipublicæ nocentis iustè debellantur, ex quo fit tunc non dari bellum iustum ex vtraq; parte respectu eiusdem causæ, vel tituli, sed respectu diuersorũ, ad quod magis illustrandum deseruire potest exemplum de innocente damnato ad mortem per sententiam iustam secundum allegata, & probata, quem constat iustè posse se defendere secluso scandalo, & tamen Iudex iustè potest illum damnare.

Secũdo posset obijci quia (vt omnes fatẽtur) licitũ est ea mala inferre hostibus in bello iusto, quæ prudenter necessaria iudicantur, vel ad compensationem iniuriȩ illatȩ, vel ad stabiliendam pacem in futuram, quæ de-

bet

bet esse præcipuus belli scopus: sed ad hunc finem opus est paruulos interficere. nam postea violenta parentum morte irritati, bonisq; hæreditarijs spoliati, ardentius excandescunt, & vehementius impugnant inuasores vitæ, & bonorum suorum parentum, de quibus apte dici potest illud Chrysostomi homil. 42. in Matth. in imperfecto. *Pulli serpentium ætate minores sunt: veneno autem pares, & catuli Luporum, & si venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludunt* Erit igitur licitum ad prædictam pacem in futurum stabiliendã, & ad vitanda mala, quę rationabiliter timeri possent, pręcauere periculum, mortem paruulorum anticipando, antequam ex innocentibus nocentes fiant: quod propter rationem tactam non solum habet locum in bello iusto contra infideles; sed, & contra fideles. Respondeo ad hanc obiectionem, cum Victoria relectione 6. de iure belli n. 38. nulla ratione licere aliquem occidere pro peccato futuro, & ideo quantumcunq; prædicti innocentes præuideantur futuri nocentes, iustè occidi non possunt, nòn enim sunt facienda mala, vt vitentur etiam alia maiora mala, & maximè cum præcaueri possunt per alia me- Victoria.

Digitized by Google

media. Vnde ſicut non licet nocere illi, quem nouimus inimicum futurum, ita nec paruulis, quos vaticinamur inimicos futuros.

Tertio obijci poſſet ſpecialiter pręter dicta ad impugnandam ſecundam partem propoſitæ concluſionis quod Matth. 13. Chriſtus Dominus dixit: *ſinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem &c. ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis triticum*, quæ verba elucidans Diuus Thomas 2. 2. q. 64. art. 2. ad 1. ſic ait *dicendum quod Dominus abſtinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, ideſt bonis, quod quidem fit, quando non poſſunt occidi mali, quin ſimul occidantur, & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos ſequaces, ita quod ſine bonorum periculo interfici nõ poſſunt, vt Auguſtinus dicit contra Parmenianum. Vnde Dominus docet magis eſſe ſinendum malos viuere, & vltionem reſeruandam vſq; ad extremũ Iudicium quam quod boni ſimul occidantur*. Hæc ille. Igitur cum in arce, aut ciuitate ſunt plures innocentes non poterunt in illam mitti bombardæ, alias boni ſimul, cum malis occiderentur, quod eſſet eradicare triticum, cum zizania. Reſpondeo quod in prædicto loco Diui Matthęi

Matthei.

D. Thomas.

D. Auguſtin.

era-

eradicatio zizaniæ, non erat ſimpliciter neceſſaria ad conſeruationem tritici: ſed erant alia media. Vnde quia finis intentus in tali eradicatione erat conſeruatio tritici, & tali fini obſtabat illa eradicatio: ideo Dominus prohibuit illā: in præſenti autem caſu mors innocentium indirecta, & per accidens, non ſolum non obſtat fini principali intento reportandæ victoriæ, & pacis comparandæ, ſed ad illum mirum in modum confert, cum tunc occidi nequeant nocentes niſi occiſis ſimul inſontibus, & per hoc patet ad locum Diui Thomæ; cum nihil aliud ſibi velit, quam Chriſtus Dominus in prædicto loco.

Qua ratione in hoc bello poſſint licitè hoſtes in captiuitatem redigi facilè explicatur.
Caput. VI.



NEminem ignorare arbitror hoſtes in bello iuſto captos, mancipia fieri capientium, prout habetur l. ſi quid bello & l. hoſtes. ff. de captiuis, & poſt liminium reuerſis & l. naturalem. §. vlt. & l. transfugam. ff. de acquirend. rerum Dominio & §. item ea quæ ab

hoſti-

hostibus instit. de rerum diuisione: vbi hæc verba legimus *quæ ab hostibus capiuntur, iure gentium nostra fiunt adeo, vt libri homines in seruitutem nostram reducantur* Idem colligitur ex capite ius gentium distinctione 1. & capite dicat 23. q. 5. vbi tractans Diuus Ambrosius de præda illa, quam tulit Abrahã Genes. 14. ait *prædam victoris esse atq; capientis*. quia tamen Iure Christianorum, consuetudine inter eos præscripta, quæ vim legis habet, Christiani ab alijs Christianis in bello iusto capti, non rediguntur in seruitutem, sed liberi manent, vt docent Bartolus in l. hostes ff. de captiuis Panormit. cap. sicut 3. de iureiuran, & alij quos refert Couarruuias regul. peccatum par. 2. §. 11. n. 6. Molina de Iustitia, & Iure: tractatu 2. disputat. 117. idq; rationi valde cõsonum esse docet Diuus Gregorius relatus 12. q. 2. cap. cum Redemptor: Ideo opere prætium duxi explicare qua ratione licitè, non obstante tali præscripta consuetudine, possint hostes in bello iusto cõtra Christianos in seruitutem redigi: pro quo dicendum puto. Primo licitum esse existente iusto bello expoliare nocentes, & innocentes rebus suis etiam ipsa libertate quantum necessarium fuerit ad finem belli consequendum,

D. Ambros.
Genes. 14.
Bartolus.
Panormit.
Couarruu.
Molina.
D. Gregorius.

dum, hoc eſt, ad plenariam ſatisfactionem iniuriæ, compenſationem damnorum, punitionem delicti, & ſimilium, ratio huius eſt quia tota Reſpublica hoſtium iniuſtè bellantium eſt tanquam vnum corpus delinquens, & nocens, cuius partes ſunt etiam ipſi Innocentes, & ideo alia Reſpublica, quæ iuſtè aggreditur, poteſt exigere ſuum ius ab illo corpore atq; adeò à partibus illius, & ideo ſi nõ ſufficiunt bona nocentium, poteſt ſibi vſurpare bona innocentium, quia etiam iſti inter hoſtes computantur ad effectũ integræ compenſationis, vnde cum Summus Pontifex in hoc bello (prout de omnibus iuſtè bellantibus tradunt communiter Doctores, quos ſequitur Molina de Iuſtitia, & iure tractatu 2. disput. 117.) ius habeat accipere de bonis violatorum ſacrę libertatis compenſationem damnorum omnium, quæ intulerunt, necnon impenſas omnes belli, impenſarum nomine intelligendo (prout egregiè adnotauit ibi Molina) non ſolum ſumptus belli, ſed etiam iuſtam mercedem pro laboribus, quos Duces, & Milites eius ſubierunt, & periculis, quibus ſe expoſuerunt: manifeſtè efficitur, quod ſi ad hæc omnia reſarcienda non ſufficerent bona capta, poſſet etiam contra ſe-

Molina.

Molina.

pu-

Digitized by Google

pugnantes captos in seruitutem redigere, vt sic fieret ei compensatio ad æqualitatem iustitiæ, prout in simili tradunt præcitati Doctores. Deinde dicendum esse reor quod, cum liceat Summo Pontifici in bello iusto vindictam sumere pro delictorum quantitate etiam si ita fuerit opus, plectendo eos qui delicta patrarunt, eorumue causa fuere. similiter etiam licebit eidem, eosdem libertate priuare sicut priuare potest alijs bonis, quæ vulgus vocat fortunæ, inter quæ ab omnibus connumeratur libertas: nec quidquam refert quod in Christianorum bellis Christiani in seruitutem non redigantur: nam cum id non iure diuino sed humano cautum sit ratione præscriptæ consuetudinis, rectè illam abrogare potest Pontifex, cum id opus esse in domino iudicauerit, prout Clem. V. fecisse cum
Sabellicus. quibusdam sacræ libertatis violatoribus in simili controuersia commemorat Sabellicus Decad. 2. lib. 1. Vbi post quã dixerat prędictum Pontificem egerrimè tulisse Ferrariensem Ciuitatem ad Christi, & Ecclesiæ patrimonium pertinentem à quibusdam violenter vsurpari, subdit *per totam Europam hoc edictũ publicasse: nihil impune facturum qui sacram libertatem violantes in sua potestate*

testate redactos pro seruis vendidisset Idq; sanè non facto solum, sed & iure fecisse Clementem V. ex eo apertè constat, tum quia erat supremus iudex illius causæ, & sicut poterat iustè malefactores vita priuare, ita & libertate. Tum quia vltra compensationem damnorum licitè poterat Pontifex sicut, & quilibet alius princeps bellum iustum gerens condignam, & integram vindictam sumere pro iniuria Ecclesiæ illata, quam certè non excedit pœna seruitutis aliquorum; Ergo rectè poterat hoc genere supplicij aliquos afficere. ac tandem generaliter loquendo, quoties contigerit, & si quod tam hostes profligentur, & bonorum iactura resarciatur, non tollitur dedecus, aut sufficienter non compensatur iniuria, & contumelia accepta, certe Princeps bellum iustum gerens, ad quem spectat honorem, & authoritatem suę Reipublicæ tueri, & conseruare, iustè procedere poterit ad captiuitatem, & seruitutem hostium, quantumcunq; Christiani sint, prout expresse docuerunt Innocentius in c. sicut, de iureiuran. & Bartol. in l. qui à latronibus de testamentis, & apertius ad huc in l. hostes columm. 3. vers. *Et ideo puto quod Ciuitates.* Et quamuis Bald. in l. in adoptionem in vlt. colum-

Innocen.
Bartol.
Baldus.

column. Codice de adoptionibus latè prædictam Bartoli sententiam confutet illam tamen sequitur in l. 4. Cod. de inge. & ma. vbi ait quod tempore suo, cum mortuus esset in captiuitate Comes Bergaminus de Martiano, & in ea condidisset testamentum, fuit magna exorta quæstio, eo quod mortuus erat Imperator, cum quo bellum gerebatur, antequam prædictus Comes caperetur, & propterea erat finitum bellum, & ideo fuerat licitum dicto Comiti testari: nam si captus fuisset ante mortem Imperatoris, fuisset sine dubio mortuus in seruitute, & non valuisset testamentum: Ecce clarè præsupponit Baldus Christianos in bello iusto fieri posse seruos capientium concurrentibus certis causis supra narratis, & ad idem etiam facit quod tradit Ioannes Andreas in Speculo. Inst. ædi. §. compendiosè vers. 15. Vbi adducit quæstionem de Henrico filio Federici Imperatoris capto à Bononiensibus, qui apud eos testatus, & mortuus est, & docet illud testamentum fuisse inualidum: ita referunt Aretinus in l. qui à latronibus. columna 2. de testamentis, & Petrus Bellinus Tomo 16. tractatuum tractatu de re militari 4. parte tit. 1. Et quamuis verum sit, prædictos authores, &

Baldus.

Io. Andreas.

Aretinus.

Petrus Bellin.

alios

Digitized by Google

alios etiam, tam Iurisperitos, quàm Theologos docere ſtandum eſſe conſuetudini de non redigendis in ſeruitutem Chriſtianis in bello iuſto captis ab alijs Chriſtianis, Innocentius tamen Papa, & Bartolus ſupra relati id negant in bello indicto à Romano Pontifice, & meritò propter rationem ſupra tactam, quia cum illa conſuetudo humano iure introducta fuerit, non ligatur illa Summus Pontifex, ſed poterit certis cauſis concurrentibus hic,& nunc illam abrogare. Vnde ſicut omnes Theologi fatētur,quos ſequitur Mag. Ban. 2.2.q.40.art.1.dub.12. quod ſicut rebelles Apoſtatæ quantumuis de numero Chriſtianorum, eo quod Baptiſmali,& indelebili charactere ſint inſigniti, in bello iuſto capti rediguntur in ſeruitutem,priuanturq; priuilegio, quo in hac parte fruuntur Chriſtiani in fauorem religionis introducto; ita etiam rebelles Apoſtolicis mandatis, & Romani Pontificis cenſuras contemnentes ſacros canones violantes, ac Eccleſiaſticam libertatem acriter labefactantes,ea Chriſtianorum immunitate, & priuilegio, quod in iuſto bello in captiuitatem, & ſeruitutem non redigantur iuſtè priuari merentur à Romano Pontifice, tanquam à ſupremo ſacræ

Innocentius.

Bannes.

libertatis vindice acerrimoq; Catholicę Ecclesiæ defensore.

Fit satis quibusdam obiectionibus in contrarium probatæ assertionis.
Caput VII.


Duersus dicta in præcedenti capite, non me latet quædam posse obijci, ex prædictis tamen facilè omnia dilui existimo: scio ergo posse obijci in primis illud Paralipom. 2. cap. 28. vbi cum Israelitæ ingentem captiuorum numerũ secum ducerent de Ierusalem, propheta eis occurrit acriter increpans captiuitatem illam, iussitq; omnes dimitti, *quia magnus* (vt dixit) *furor Domini* imminet vobis. Scio etiam non solùm præualuisse morem de non redigendis Christianis in seruitutem, sed & id quoq; iure ipso caueri, vt patet ex *l. si quis in genuam. §. finali.* ff. de captiuis vbi habetur, quod in ciuilibus dissentionibus, qui est alterutrius partis, non est inter hostes connumerandus, ideoq; neque captiuus efficitur, vnde Petrus Bellinus de re militari, & habetur tomo 16. tractatuum huic

Paralip.

Petrus Bellin.

huic ſententiæ adhærens, pro ea citat Salicetum in *l. ab hoſtibus* Cod.de poſtliminium reuerſis, & Bartolum in l. hoſtes in vltimis verbis,& addit hęc ſequentia *Hic mos præualuit, vidimus enim ſępiſſimè huiuſmodi captiuos remanere liberos, imponi tamen eis iugum redemptionis quanti poßunt, aut quanti conuenit, & interim ſunt apud capientes iure pignoris argumento leg. 2. Cod. de poſtlimin. reuerſis, & l. cum & poſtliminij, & l. præſes, & l. finali.illo eodem titulo, quod etiam tenuit Aretinus in leg. qui à latronibus de teſtamentis, & ſi nolunt ſe redimere poſſint ad hoc compelli, vt dixit Salicetus in dicta l.ab hoſtibus Cod.de poſtlimin. reuerſis*. Hæc ille. Ac tandem, quia in nullo caſu videtur licitum innocentes,& maximè paruulos,qui non ſunt doli capaces, in ſeruitutem redigere quando bellum eſt contra Chriſtianos, nam cum Pia Mater Eccleſia eos liberos per baptiſmum regenerauerit in filios, non apparet qua ratione licitè fieri poſſint ſerui, Nec iuuat reſpondere, quod ſicut in fauorem fidei poſteri hæreticorum priuantur hæreditate,& nobilitate paterna; ſic iſti propter delictum læſæ maieſtatis Pontificiæ, & inobedientiam contra Sedem Apoſtolicam; priuari

Tomo 16.

Bartolus.

Aretinus.

uari possunt libertate:hoc (inquam)nõ iuuat propter rationis disparitatem, nam posteri hæreticorũ, nullũ ius habent ad bona paterna Patre viuo, vt de illis pro libito possint disponere: ac proinde bona,quæ auferuntur, nõ erant eorum,sed ipsorum delinquentium: nobilitas etiam beneficio & fauore Principũ acquiritur,& ideo ipsa ab illis priuari possũt: libertas autem est à natura : quod autem non lædantur in ea Christiani ab alijs Christianis,priuilegium est in fauorem Religionis Christianæ, & vt ipsa magis ametur, & omnibus sectis dignior ostendatur.

Ad hæc omnia sufficienter responsum esse arbitror ex supradictis præcedenti capite, nos enim non inficiamur sententiam asserentem in bello iusto contra Christianos non licere captos in seruitutem redigere, sed illam potius approbantes cum cõmuni Doctorum sententia, tanquam veram per se loquendo, dicimus cũ hoc rectè stare; quod si iniuria illata aliter ad æqualitatem compensari nõ possit, quam per dictam captiuitatem & seruitutem, licitè à quocunq; Principe geratur bellum, in seruitutem redigi posse, hostes,cui sententiæ omnes Doctores vnanimi consensu video suffragari; dum dicunt licere

Digitized by Google

cere Principi iustum bellum gerenti, ea omnia damna hostibus inferre, quæ necessaria fuerint ad integram, & æqualem compensationem illatæ sibi iniuriæ capiendam. Deinde etiam (iam dixi) cum iustum bellum geritur à Pontifice facilè illud priuilegium abrogare posse: imò addo, Christianos iniustum bellum gerentes contra Pontificem Romanum ipso facto priuari tali priuilegio in pænam rebellionis contra supremum caput Ecclesiæ, cum sit manifestum Schismatis principium, summæq; inobedientiæ non obscurum argumentum. Ad rationem etiam in contrarium supra adductam placet respõdere mutuata solutione à Magistro Dominico Bannes primario olim Salmaticensis academiæ Theologiæ professore. Nam 2. 2. q.40.art.1.dub.11.conclus. 3. loquens de bello iusto etiam contra fideles sic ait. *Licitum est in bello iusto expoliare, & in captiuitatem ducere innocentes, etiam illos, quos scimus esse innocentes, probatur primo ex vsu gerentium bellum iustum, tam contra fideles, quam contra infideles, omnes enim ita faciunt. Secundo probatur: quia huiusmodi innocentes sunt partes Reipublicæ, contra quam est iustum bellum, & sunt filij, aut vxores,* Bannes.

vel ſerui illorum, qui ſunt innocentes; Ergo poſſunt puniri hac pœna., probatur conſequentia, quoniam pœna amiſſionis bonorum plerunq; puniuntur filij pro parentibus, vt patet de hæreticis, & de illis qui ſunt rei læſæ Reg. 23. *maieſtatis, Et confirmatur ex regula 23. de Reg. iur. in 6. dum dicitur ſine culpa neminem eſſe puniendum, niſi ſubſit iuſta cauſa, vbi aduertere oportet non dici, non eſſe puniendos innocentes, ſed exceptionem addi quando eſt iuſta cauſa. Igitur cum ſubeſt iuſta cauſa, ſcilicet delictum Reipublicæ, vel parentum rectè poterit infligi prædicta pæna,* Gabriel. hactenus illæ. Addit tamen Gabriel optimam limitationem, quod ſi eſſet aliqua ciuitas illius Principis, contra quem iuſtum bellum geritur, quæ in bello non conſenſit, nec auxilium præbuit, nulla ratione liceret ei nocumentum inferre: quia nulla ſubeſt iuſta cauſa eos puniendi. Sed poſſet adhuc quiſpiam argumentari in hunc modum aduerſus ſupradicta. Nam ſi licet captiuare innocentes & ſpoliare, quia ſunt partes Reipublicæ nocentis: ergo etiam licèt eos occidere eadem ratione ad perfectam punitionem delicti, quod tamen conſtat eſſe falſum ex ſupradictis cap. 2. vbi oſtendimus non licere

inno-

Digitized by Google

innocentes occidi directè, & ex intentione in bello iusto.

Respondeo esse disparem rationem nam vitæ non sumus Domini, aliorum autem bonorum, & libertatis, sumus Domini, & ideo facilius potest quis spoliari bonis alijs, & libertate, quam vita, & iure gentium introduci potuit, vt innocentes, tanquam partes Reipublicæ puniantur in bonis, quorum habent dominium, non verò in vita. sicut etiã ob delictum patris, priuatur filius fama, honore, & diuitijs, & posset etiam statui ius, vt priuaretur libertate, non tamen vnquam, quod priuaretur vita, nisi propter proprium delictum sic ergo in proposito &c.

Eos qui in bello Romani Pontificis aduersus sacræ libertatis violatores iustè in seruitutem redacti fuerint, mortaliter peccare, si à suis Dominis fugiant, multiplici iure, & ratione comprobatur. Cap. VIII.



SCio nonnullos Theologos, & Iuris peritos, quos sequũtur Magister Bannes 2. 2. q. 40. art. 1. Couarr. lib. variarum resolutionũ cap. 2. n. 10. & in relectione super Mag. Ban. Couarruuias.

Soto. regulam, peccatum. parte.2. §. 11.n.6.Sot. lib.2. de Iustitia q.2. art. 1. in ea esse sententia captos in bello iusto, si inuenta occasione fugiant Dominos suos, nullum peccatum mortale committere, nec teneri ad restituendum illis aliquod prętium.

Verum contrariam sententiam, affirmantem eos lætaliter peccare, cui nos etiam subscribimus, tuentur Turrecremata super textum in cap. *Ius gentium* distinctione 1.art.4. & 5. Syluester verbo seruitus §. 3. Nauarr. in manuali cap.17. n.103. Vbi latius de hoc pertractat in vltima editione: eandem etiam docet D. Antoninus 3.parte tit.3.cap.6.§.4. quibus addo Fortunium in l.manumissiones. ff. de Iustitia, & iure. Et probatur primo, tũ ex glossa insigni in capite. *Ius gentium* quæ vniuersaliter affirmat Seruum in bello iusto captum peccare, si fugiat Dominum suum, tũ quia in lege 3. Codice de seruis fugitiuis cauetur, vt seruus deprehensus in fuga, puniatur, vel amputatione alterius pedis, vel deputatione ad metalla: at tam grauis pœna non posset iustè imponi, nisi pro culpa lethali, maximè quod leges Codicis conditæ sunt à Principibus Christianis, & supposita iustitia, quæ in Christianorum bellis esse debet.

Turrecremata. Syluester. Nauarr. D. Antoninus. Fortunius. Glosa.

Digitized by Google

bet. Secundo quia possessor in prædicto casu de capto in bello iusto, erat verus Dominus, & legitimus possessor illius, & ipse fugiendo, se ipsum à Domino furatur, vt habetur l. 1. Cod. de seruis fugitiuis: ergo & peccat letaliter, & tenetur se ipsum restituere, nõ solum ratione rei acceptæ, sed & ratione iniustæ acceptionis. Tertio quia captus in bello iusto, iustèq; in seruitutem redactus, eo ipso censetur damnatus iustè pœna perpetuæ seruitutis: at damnatus iustè ad pęnam, quæ ad ipsum spectet exequi, & implere, tenetur in foro conscientiæ eam exequutioni mãdare, prout communis fert Doctorum Sententia, & patet in pęna exilij, & similiter in pęna carceris, qua iustè damnatus non potest licitè fugere, vt docent Thomistę 2. 2. q. 69. n. 2. Quarto quia vel ille fugitiuus consequitur libertatem per hoc, quod egrediatur fines eorum, qui illum iustè possidebant, vel non consequitur illam, quousq; ad suos perueniat: si primum dicatur, sequeretur, quod talis seruus inuentus extra fines Regni, vnde est eius Dominus, non posset licitè ab eo capi, quod nullus sanæ mentis cõcedet: Si autem dicatur secundum; sequeretur etiam aliud absurdum: nimirum quod Thomistæ

Tur-

Turca iuſtè captus, & fuga ad Regem Marrochienſem perueniens, non conſequeretur libertatem, ſed teneretur ſub peccato mortali, vel ad Dominum à quo fugit redire, vel ad Turcarum regnum peruenire. Tandē alij eandem aſſertionem probāt ex eo, quod (experientia docet) ſeruos captos in bello iuſto, ſi fugam arripiant, iuſtè à ſuis Dominis puniri: at iuſta pœna præſupponit culpam: ergo culpabilis erit eorum fuga. Verùm hæc ratio non eſt omnino firma, quia prout rectè dixit Magiſter Bannes 2.2.q.40. art. 1. dubio penultimo, ſicut propter bonū publicum vincti elapſi de carceribus puniūtur, licet iure & ſine peccato id effecerint: ita in gratiam conſeruationis rei ſuæ, poteſt Dominus ſeruum fugientem coercere, & debitis ſupplicijs afficere. In quo caſu quamuis puniatur ſine culpa, non tamen ſine cauſa, & hoc ſufficit, vt habetur in regulis Iuris in 6. Reg. 16. Quare firmiorem rationem eſſe putarem, quod ſi oppoſita ſententia eſſet vera, ſequeretur dari bellū iuſtum ex vtraq; parte ſecluſa ignorantia: nam ille ſeruus licitè fugit manus Domini, licitèq; ſe abducit à Dominio illius, & licitè etiam Dominus dum eſt intra fines ſui Regni, illum comprehen-

Mag. Bann.

Digitized by Google

hendit, & ad ſuam poteſtatem & poſſeſſionem reducit. Ecce igitur bellum iuſtum ex vtraque parte, cum ille licitè fugiat, & hic licitè perſequatur. Deinde addo quia, vt conſtat ex cap. ſi quis ſeruum. 17. q. 4. & per varias leges. ff. de ſeru. fugit. & ff. de ſeruo corrupto, prohibetur, ne quis conſulat fugã ſeruo, vel adiuuet illum fugientem: ergo ſignum eſt fugam illam non illi licere: nam ad actum licitum, liceret conſulere, & adiuuare. Vnde in Concilio Gangrenſi cap. 3. prohibetur prædictum conſilium. Verum rationes ſupra adductæ omnibus alijs firmiores ſunt. Concil. Car.

Argumenta, quæ in contrarium probatæ ſententiæ obijci poſſunt, facilè enodantur. Cap. IX.



Heologi initio præcedẽtis capitis relati cum Couarruuias loco ibidem citato, obijciunt primo aduerſus noſtram ſententiam, quod §. *item primo*. Inſtit. de rerum diuiſione. poſtquam dicitur iure belli fieri hoſtes captiuos ſubdũtur hęc verba, *quod ſi noſtram poteſtatem euadant, &* Couarru.

ad

ad suos redeant pristinum statum recipiunt. adducunt etiam ad idem textum in *l. nihil interest.* ff. de captiuis, & postliminium reuersis. necnon etiam l. 23. tit. 14. par. 7. legum Castellæ vbi habetur *si Sarracenus iustè à nostris captus fugiat, eo ipso quod ad suos peruenit, consequitur libertatem, adeo vt si postea sua sponte regrediatur ad mercaturam inter nostros exercendam, cogi non possit ad pristinam seruitutem.* ad quod etiam alludit l. 23. tit. 29. par. 3.

Respondeo ad hæc omnia iura, locum non habere; quando bellum contrariæ partis apertè est iniustum, cuius modi est contra Romanum Pontificem sacram libertatē defendentem, Maximè quod vniuersaliter loquendo illa non habent locum in foro conscientiæ, nisi in casu, quod bellum non esset, ita perspicuè iustum, quin pars altera formaliter iustè pugnaret, eo quod per se loquendo in dubio milites Regi suo parere tenentur: nā cum in eo euentu æqua sit conditio captiui, ac Domini sui, nec minus pertineat ad eum dominium, & possessio suæ libertatis, quam ad suum Dominium, eo quod tunc bellum sit iustum ex vtraq; parte ratione probabilis dubij, quod tunc intercedit; manifestè efficitur,

citur,

citur, posse pro iure suo subtrahere se à seruitute, fugereq; quocunq; velit. Ad leges autem Castellæ quę manifestè loquuntur, quãdo bellum est perspicuè iniustum ex parte aduersariorum, iustum autem ex parte nostra, respondet in hunc modum, Molina vbi supra ad finem *dicendum est conditores illarum legum, secutos fuisse ius Cæsareum neq; contendisse constituere aliud nouum ius positiuum in eo Regno: quare nec de illis in conscientia, aut exteriori foro, sicut nec de iure illo Cæsareo ea in parte est curandum, nisi forte iura illa seruarentur ne Sarraceni offenderentur arcerenturq; à mercatura, & commertio cum nostris atq; ne similiter, cum nostris agerent, qui aliquando fuissent ipsorum captiui manusq; eorum effugissent ad mercaturam, cum illis exercendam, aut ad aliquod aliud tempore pacis inter illos agendum reuerterentur* hactenus ille. Molina.

Secundo obijciunt quia nullus damnatur per leges ad hoc, vt sibi inferat supplicium, seque actiuè compellat ad manendum in illo; sed vt patiatur illud; qua ratione incarcerati, licet alias propter bonum publicũ puniantur si fugiant, reuera tamen absq; peccato possunt fugere; Ergo etiam serui solum

lum tenentur pati ſeruitutem, non tamen non fugere, quando habeant medium oportunum. Reſpondeo quod ſeruitus poteſt cõſiderari dupliciter; vno modo, vt pœna; alio modo, vt debitum quoddam, quod ex Iuſtitia debet ſeruus ſuo domino. Quamuis ergo ſeruus non teneatur manere in ſeruitute quatenus pęna eſt, quia nullus tenetur pęnam Iudicis ſibi inferre, ſed illam pati, tenetur tamen ad ſeruitutem, quatenus debitum eſt ex iuſtitia. Dices ergo ſufficiet quod ſeruus fugitiuus pecunia ſe redimat abſq; eo quod redeat ad Dominium: quia ſic faciet æqualitatem cum debito. Reſpondeo nullam eſſe conſequentiam, quia cum inuito Domino aliquid aufertur ab eo, vſu non cõſumptibile, ex iuſtitia ei debetur idem numero, quod eſt illi ablatum, rationabiliterq; id Dominus poſtulat, cum vnuſquiſq; ius habeat ad rem ſuam recuperandam.

Tertiò obijciunt: nam hoc genus ſeruitutis, quod incurrit captus in bello iuſto, quicunq; ille ſit, eſt omnium nobiliſſimum, longeq; differt à ſeruitute, quæ incurritur per venditionem; ergo talis captiuus poterit licitè fugere. Reſpondeo quod cum nobilitas huius ſeruitutis non extrahat illam ab

eſſen-

Digitized by Google

essentiali ratione seruitutis ratione illius pertinet seruus ad suum Dominum tanquam res propria illius, atq; adeò se subtrahendo ab eo per fugam, subtrahit illi rem propriam ipsius Domini, Et consequenter tenetur se illi restituere. Sed dices seruitus hæc introducta est iure gentium. At inter omnes gentes, & apud omnes nationes videmus, quod multi serui fugiunt à suis dominis, neque aliquod pretium pro illis postulatur, aut datur; ergo ex communi vsu gerentium bella, introductum est, licitè posse seruos effugere suos dominos: neque aliquid eis in compensationem exhibere tenentur, Respondeo ex prædicto vsu nihil posse colligi aduersus nostram sententiam: nam cum vtraq; pars bellantium, siue vere, siue false, semper iudicet iustum bellum gerere, consequenter etiam iudicat licitè fugere seruos, neq; ad aliquam restitutionem teneri, quod cum etiam probe nouerit altera pars iustè bellantium, nihil ab alia restitui postulat non quia iure id non posset, sed quia meritò petitionem suam frustaneam fore non dubitat.

Qui-

Digitized by Google

Quibus bonis licitum sit expoliare sacræ libertatis violatores in bello, à Romano Pontifice contra illos inito.

Caput X.



Vm inter bona cuiuscunque Reipublicæ, quædam sint immobilia, & quędam mobilia. In primis dicendum censeo cum communi Theologorũ, quos sequuntur vnanimiter interpretes D. Thomæ 2.2. q. 40. art. 1. Quod loquendo de bonis immobilibus, cuiusmodi sunt Vrbes, Oppida, Arces, Agri, & similia licitum est in Bello aduersus Violatores sacræ libertatis, omnia illa occupare, quantum necessarium fuerit ad compẽsationem damnorum illatorum, & iustam vindictam sumendã de illis, ita colligitur ex Deuther. 20. vbi datur locus in bello occupandi Ciuitatem, quæ pacem noluerit: & quidem si licèt intraneos malefactores hoc genere supplicij punire, scilicet priuando eos domibus, & alijs bonis immobilibus, etiam id licebit in ordine ad extraneos: Verum tamen est non licere in vindictam occupare quantum viribus,

D. Thom.

Deuther.

bus,& armorum potentia expugnari potuerit, ſed quantum fuerit de iniuria; ſeruata æqualitate, & charitate. Non tamen per hoc nego, imò approbo quod ad parandam ſecuritatem, & vitãdum periculum ab hoſtibus, licitum eſt occupare omnia, quæ tunc ad prædictum finem neceſſaria videbuntur: ea tamen iuſta addita conditione, quod poſtquam omnia fuerint compoſita ſolùm ea retineantur, quæ pro compenſatione damnorum, & impenſarum, & iniuriæ vindicta ſufficerint. Loquendo tamen de bonis mobilibus, nullum dubium eſſe poteſt, quin ad faciendam prædictam compenſationem liceat expoliare ſuis bonis non ſolùm nocentes, ſed & innocentes; quando à ſolis nocentibus ſufficienter ſumi non poteſt: ita præcitati Doctores, & ratio eſt iam ſupra tacta. Quoniam tota Reſpublica reputatur hoſtis ad prædictum effectum, & ideò licitum eſt, eam punire in omnibus ſuis membris, quatenus partes illius ſunt, quoad externa, & alia quæ vocant fortunæ bona: qua etiam ratione licitum eſt imponere tributum, ab omnibus partibus ipſius Reipublicæ ſoluendum: imò & ab omnibus ſucceſſoribus quatenus futuri ſunt partes eiuſdem reipublicæ eſto coope-

Caietanus.

Digitized by Google

rati non fuerint ad eius delictum, ita notauit Molina vbi supra, qui ad id probandum optimam subdit rationem: nam vt constat ex communi sententia interpretum iuris Canonici in capite vnico de iniurijs, & damno dato lib. 6. quos sequuntur Couarruuias vbi supra, & Victoria de iure belli nu. 41. licitæ sunt represaliæ, hoc est, quod quando aliquis, aut aliqui de aliena Republica damnum intulerunt, & neque ipsi volunt satisfacere, neque Princeps, aut supremi Reipublicæ moderatores admoniti, cogunt illos satisfacere; tunc eo ipso Respublica tota in suo Principe, aut moderatoribus culpam contrahit fasq; proinde est Principi contrario concedere suis subditis, vt faciant impignorationes in bonis subditorum alterius Reipublicæ vsq; ad debitam compensationem, esto illi, quorum bona occupantur innocẽtes extiterint, cuius hæc præcipua ratio est, quod in huiusmodi subditis punitur Respublica, quæ quod tenebatur vindicare neglexit, vt tradit Diuus Augustinus, capite *Dominus*, 23.q. 2. Tandem loquendo de eisdem rebus mobilibus communis Theologorũ, & Iuristarum sententia docet omnia talia bona, cuiusmodi sunt pecuniæ, gemmæ, vestes, aurum, argen-

Molina.
Couarruu.
Victoria.
Augustin.

argentum, & similia, iure belli esse ipsorum capientium, etiam si excedant compensationem damnorum, & impensarum: ita tradunt Adrianus in materia de restitutione q. speciali *de bello*. Syluester verb. *bellum primo*, §. *1*. *&* *9*. *conclus*. 2. *&* 3. Victoria *de iure belli nu*. 51. Couarr. Relectione *super Regul. peccatum p*. 2. §. *11*. *nu*. *1*. *&* *6*. Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 4. conclus. 1. Molina de *Iustitia*, *&* *iure*, tractatu 2. disputat. 117. cõclus. 4. & Bannes vbi supra Dub. 10. concl. 3. Et probatur primo authoritate Diui Thomæ: nam 2. 2. q. 66. ar. 8. ad primum, sic ait: *Si illi, qui depredantur hostes, habeant bellum iustum, ea quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ, vnde nec ad restitutionem tenentur*. hæc ille. Verum & ante eum, idem docuerat Diuus Ambrosius *lib*. *1*. *de Abrahã cap*. *30*. *in medio*. *tomo* 4. vbi inquit: *Cum præda fuerit in potestate victoris, decet militarem disciplinam, vt Regi seruentur omnia, scilicet ad distribuendum*. Secundo probatur ex l. *si quid bello*, & l. *hostes* ff. de captiuis, & post liminium reuersis, & l. *naturalem* §. vltim. & l. *transfugam* ff. de acquirend. rerum domin. & §. *item ea quæ*

Adrianus. Siluester. Couarr. Victoria. Gabriel. Molina. Banes. D. Thomas. D. Ambrosius. l. si quid bello. l. hostes. l. naturalem. l. transfugam.

Digitized by Google

ab hostib. instit. de rerum diuisione. Vbi hæc verba legimus, *quæ ab hostibus capiuntur iure gentium nostra fiunt.* Et in cap. Iusgentium distinct. 1. dicitur expresse: *Iusgentium est sedium occupatio, bella captiuitates seruitutes, &c.* Cui consonat illud Deuther. 11. *Omne, quod calcauerit pes vester, vestrum erit.* Et illud eiusdem Deuther. 20. vbi sacer textus habet in hæc verba: *Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spolijs hostiũ tuorum.* vnde 23. quæst. 1. cap. *dicat*, Diuus Ambrosius ait, quod cum Abraham Genesis 14. occidit quatuor Reges præda fuit illius, quamuis recusauit accipere. Tertio denique probatur, quia dato præda excedat damna, & impensas belli, tamen in pœnam, & vindictam delicti Iusgentium, hoc obtinuit, vt victi mulctentur prædictis bonis in actuali conflictu, nec illa computentur inter partes satisfactionis illius rei, pro qua bellum geritur. Vndè Syluester loco citato dixit, quod capta in bello iusto non compensantur cum debito principali, quod etiã docuit Bartolus in dicta leg. *si quid in bello*, quam doctrinam intelligo omnino veram cũ communi Theologorum, & Iuristarum. Duo tamen illam infirmare videntur, alterum est, quod

Caput iusgentium.

Deuth. 11.

Deuth. 20.

D. Ambrosius.

Gen. 14.

Syluester.

Bartolus.

Digitized by Google

quod Aristoteles lib. 1. Politicorum cap. 4. ait, quod illa lex, quæ iubet, vt bello capta, sint eorum, qui capiunt, à quibusdam reprehenditur, tanquam iniusta. Alterum est, quod in cap. Innouamus *de tregua, & pace* Rustici pertinentes ad eam rempublicam, quæ expugnatur, prohibentur spoliari bonis suis, aut quidquam molestiæ eis inferri. Respondeo Aristotelem ibi non loqui assertiuè, sed recitatiuè referendo, quid alij senserint. Ad Canonem verò dicendum est primo Caietanum verbo *bellum* dubitare an per contrariam consuetudinem vim suam amiserit. Dicendum etiam secundo per illum non prohiberi in bello inter Christianos, ne vllo pacto Rustici suis bonis spolientur, sed solum iubetur, vt quando ad agriculturã egrediuntur, aut regrediuntur, vel in agris cõmorantur, tam ipsi, quàm animalia, quibus arant, & semina portant, debita securitate gaudeant, ne alias publicum bonũ lęderetur manentibus agris incultis, vnde postea fames grassari posset: per hoc tamen non interdicitur, quo minus alijs eorundem bonis possint spoliari, vt rectè obseruauit Molina de Iustitia, & iure tractatu secundo, disputatione 121. in fine.

Aristoteles.

Cap. Innouamus.

Aristoteles.

Canon.

Caietanus.

Molina.

DE MODO, QVO PERSONÆ Ecclesiasticæ, licitè possunt bellum gerere, etiam manu propria. Maximè contra Ecclesiæ iura violantes.

LIBER QVARTVS.

Ecclesiasticis personis nullo Iure naturali, aut Diuino prohibitum esse bellum gerere. Caput I.



IHI ad vltimam partem huius operis iã accedenti, duo probare incumbit, quæ pro eius complemẽto merito desiderari poterant. Primum est, nullo iure naturali, Ecclesiasticis personis interdictum esse propria manu bellum gerere: quod haud obscure probari potest. Primo: quia illud iudicatur esse ius naturale, quod per se notum est, aut ex per se notis per euidentem consequentiã dedu-

deducitur. Ita docent Sanctus Thomas 2. 2. q. 57. art. 2. & 3. Et noster Scotus in 3. distinctione 37. Vbi Maior, & alij permulti, & colligitur ex cap. *Ius naturale* 1. distinctione & l. 1. §. *Ius naturale* ff. de iustitia & iure. At non est per se notum, nec ex per se notis colligitur per euidentē consequentiā peccare personas Ecclesiasticas, Iusta bella gerentes: ergo non est id eis prohibitum iure naturali: maior, cum consequentia est nota, & minor probatur, quia si ex aliquo principio colligeretur maximè ex hoc, quod personæ Ecclesiasticæ sunt destinatæ ad offitia sacra, & ad cultum Diuinum: ergo non debent se ingerere rebus bellicis, hęc tamen collectio non concludit Iure naturę, illis id esse prohibitum omni tempore sed vt plurimum eo dumtaxat, quo rebus sacris vacare debēt. Adde, quod cum bellum pro sacra libertate tuenda susceptum sit, bellum sacrum, certè vacare tali belli erit sacris vacare, Deinde quia quod Iure naturali prohibitū est, nullo tēpore licuit: Ius enim naturale ab exordio mūdi cœpit ligare, vt habetur 5. distinctione in princip. at olim licebat non solum infidelibus, sed, & fidelibus, leuitis, & sacerdotibus pugnare, & occidere etiā

S. Thomas.
Scotus.
Maior.

proprijs manibus; Ergo non eſt id prohibitum iure naturali: Conſequentia huius diſcurſus, cum Maiori eſt euidens; Minor vero conſtat apertè ex varijs teſtimonijs ſacræ ſcripturę. Nam Exodi trigeſimo ſecundo.

Exodi.

hortatu Moyſis Leuitæ occiderunt ingentem ſuorum fratrum cateruam, Et Numerorum. 25. Phinees Sacerdos occidit Iſraelitam, rem habentem cum Madianita. Et 1. Regum 15. Samuel ſummus Sacerdos ſuis manibus concidit Regem Agar, & Matathias Sacerdos interfecit haſta quendam Idolis ſacrificantem, prout habetur 1. Machabeorum; ac tandem Diuus Petrus dum erat Pontifex Maximus Ananiam, & Zaffiram, ſuo verbo interfecit. Actorum 5. quicquid nonnulli aliter exponant, ergo id non fuit prohibitum Iure naturali.

Numerorum.

1. Reg. 15.

1. Machab.

Actorum 5.

Secundum, quod me probare oportet, eſt, nec etiam Iure Diuino poſitiuo, illicitum eſſe perſonis Eccleſiaſticis, bellum gerere, quod multipliciter in hunc modum oſtendo. Primo quia tam in veteri, quàm in nouo teſtamento, nullum tale præceptum diuinum poſitiuum, id prohibens inuenitur: Si enim ex aliquo teſtimonio id apparenter colligi videretur maximè ex illo 1. Timoth. 3. Et

ad

Digitized by Google

ad Titum 1. prout refert Gratianus 45. distinctione in princ. Vbi percutere prohibetur Episcopo; ex his autem non potest id colligi: Tum quia loca illa intelliguntur de percussore iniusto, Nos autem agimus de percussore in bello iusto, tum quia, vt rectè notauit Nauarrus 1. part. Consiliorum lib. 1. cons. 3. quod incipit *quidam ex illustrissimo Genere*. Ordinationes illæ Diui Pauli non omnes sunt Diuinæ, sed quædam humanæ, vt patet ex illa, qua ordinat, vt sit vnius vxoris vir, & ita non bigamus, per quæ verba communiter docent Doctores, bigamiam inductam fuisse. At Bigamia non est Iure Diuino, sed humano tantum inducta, vt docet communis Doctorum sententia, cum Diuo Thoma Quolibet. 4. art. 13. Igitur ordinationes illę Pauli humanæ erant, non Diuinę, idem etiã docet expresse Bannes 2. 2. q. 64. art. 4. ad primam obiectionẽ vbi ait *Responde tur quod non omnia præcepta, quæ ab Apostolis suis temporibus sunt tradita ad bonam gubernationẽ Ecclesiasticam, censenda sunt de Iure Diuino; etenim præcipiebant quædam tanquam ordinarij Prælati Ecclesiæ* Ille etiã alius locus Matth. 16. quo Petro iussit Dominus gladium suum in vaginam conuerte-

1. Thimoth.
Gratianus.
Nauarr.
D. Thomas.
Bannes.
Matth.

re,

O

re, per quod videtur interdici Petro, & Summis Pontificibus, eius successoribus, facultas stringendi gladium, nihil concludit: Nam secundum sensum literalem, & iuxta
D. Augustin. expositionem Diui Augustini, prout refertur in capite, *Ille gladium accipit*. 23. q. 4. ibi non fuit prohibita iusta eductio gladij, sed iniusta, & indiscreta, vt patet ex subsequentibus verbis, *quia omnis, qui gladium accipiti, gladio peribit*: manifestum est enim, hanc pęnam talionis non imponi, nisi iniustè accipienti gladium. Secundo probatur, quia personæ Ecclesiasticæ, etiam Episcopali dignitate fulgentes, possunt licitè non solum milites ad bellandum hortari, vt constat ex cap. *Hortatu* & capite *Igitur* 23. q. 8. sed & illos ad fortiter pugnandum animare argu-
Cap. Maxim. mento capite *Maximianus*. 23. q. 3. cui nō obstat textus in capite *quod in dubijs*. de pęnis: vbi huiusmodi suasio prohibetur, nam loquitur de suasione in bello iniusto, vt egre-
Glosa, & Inn. giè notarunt Glosa, & Innocentius; ibi communiter recepti. At si Iure Diuino prohibitū esset Clericis bellare in bello Iusto, certè non liceret eis hortari ad illud, nec interesse præliantibus, eosq; ad fortiter pugnandum animare. Tertio quia nō magis prohibitum

est

Digitized by Google

est Clerici iustum bellum gerere, quam sententia sanguinis, nocentem iustè damnare, aut patrocinari, testificari, acta facere, & alia similia media exercere, per quæ peruenitur ad sententiam sanguinis iustam, vt apertè colligitur ex capite *Sententia Sanguinis.* ne Cler. vel Mon. & cap. Prælatis. de homicid. lib. 6. Et insuper etiam quanta irregularitas contrahitur ex illo, tanta ex hoc: at prædicta omnia nemine dissentiente non sunt iure Diuino prohibita: ergo nec istud. Vnde videmus; quandoq; Sanctissimos Pontifices iussisse quosdam maleficos mutilari, occidi, & comburi, quod tamen neutiquam ipsi facerent. Quarto quia actus belli de se licitus est: vt latè ostendimus supra lib. 1. c. 1. Ergo non est contra rationem naturalem, quod Clerici illum exerceant. Vltimo idē probant Caietanus, & Nauarrus, ille quidem 2. 2. q. 40. art. 2. dum ait. *In primo casu Clerici non peccant pugnando manu propria; quia lex positiua, qua Clerici arcentur, ne pugnent manu propria venit ad casum, in quo si legislator adesset, dispensaret.* hęc ille per quæ expresè determinat, prædictam prohibitionem non esse iuris Diuini, sed humani cum dicat, legislatorem dispensare posse in Caietan. Nauarr.

ea.

Nauarr. ea. Nauarrus ibidem loco ſupracitato ait: *eodem iure, quo inducta eſt irregularitas prohibita eſt, & Clericis delatio armorum, & pugna proprijs manibus exercenda in bello iuſto ſecundum omnium mentem. At in confeſſo eſt apud omnes, quod irregularitas nõ eſt inducta* Innocentius. *Iure Diuino, ſecundum Innocentium in cap. Niſi cum pridem, de renunciatione, & in cap. ad audientiam de homicidio: ergo ius humanum eſt illud, quo Clericis iuſtum armorum exercitum proprijs manibus vetatur* Hæc ille. Bannes. Accedit ad hos Magiſt. Bannes 2. 2. q. 40. art. 2. Vbi poſtquam ſtatuerat bellare eſſe prohibitum Clericis Iure Diuino, vel naturali, ſed ſolo iure poſitiuo Eccleſiaſtico, & probat tripliciter. *Primo nam in toto Euangelio id non prohibetur. Secundo quoniã ex diſpẽſatione Pontificis poteſt clericus proferre sẽtentiã in cauſa ſanguinis; ergo poteſt bellare: nam ita prohibitum eſt vnum, ſicut aliud. Tertio quoniam ſic habet communis opinio omnium Theologorum, & Iuriſperitorum.* Hæc ille, cuius etiam ſententiæ conſentiunt communiter recentiores Thomiſtæ. Addo his omnibus, quod licet perſonis Eccleſiaſticis in maioribus ordinibus conſtitutis, ſit prohibitum iure tãtum humano exercitium belli,

atq;

atq; adeo bellãdo ſine diſpenſatione Romani Pontificis peccent mortaliter; ſecus tamen eſt de Clericis in minoribus cõſtitutis, quos bellando cenſeo non peccare mortaliter, ad quod moueor. Primo quia tam prohibitum eſt Clericis cauſam ſanguinis agere cap. *his à quibus* 23. q. 8. quam bellare: ſed Clerici in minoribus cõſtituti cauſam ſanguinis agẽtes, non cenſentur peccare mortaliter, vt omnes fatentur; Ergo nec etiam ſi bellent. Secundo quia non minus dedecet offitium Clerici ducere vxorem, quam bellare, ſed non peccant mortaliter ducendo vxorem, vt omnes nemine diſcrepante fatentur; Ergo neq; bellando. Vnde Magiſter Bannes 2. 2. q. 4. art. 2. dub. 1. concluſ. 1. ait, quod Leges, quæ prohibent bella Clerici, vel intelliguntur tantum de his, qui ſunt in maioribus conſtituti, vel ſunt abrogatę quãtum ad eos, qui ſunt in minoribus conſtituti; id autem quod addit ex quorundam ſententia aſſerentium prædictos in minoribus conſtitutos bellando venialiter peccare, mihi non probatur, nam cum bellare ſecundum ſe ſit licitum, ſi aliunde nullo Iure, aut Canone illis prohibeatur, licitè bellare poterũt atq; adeo abſq; peccato veniali. Mag. Bann.

Quæ

Digitized by Google

Quæ prædictæ assertioni aduersantur diluuntur, simulq; conciliantur verba illa: Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat cum illis: Mitte gladium tuum in vaginam &c. Caput II.

Lucæ. 22. Matth. 26.



Turrecremata

Vidam Canonistæ, quos sequutus fuit Cardin. Turrecremata cap. *Clerici* dist. 50. opinati sunt Iure Diuino, ac naturali prohibitũ esse Clericis propria manu bellare, ad quod mouentur. Primo propter Gratianum qui 23. q. 8. cap. *de Episcopis* hæc profert verba. *de Episcopis, & quibuslibet Clericis, quod nec sua authoritate, nec authoritate Summi Pontificis, arma sumere valeant, facilè probatur ex illo. Matth. 26. Mitte gladium tuum in vaginam, quod certe à Christo dictum est Petro nomine Clericorum, & Episcoporũ*; Ergo, si per dispensationem Pontificis non possunt Ecclesiastici bellare, manifestè relinquitur id esse de iure naturali, Diuino, aut positiuo: nam super ius humanum rectè posset dispensare Pontifex.

Gratianus.

Matth. 26.

Verum ad hoc respondeo intelligenda

esse

Digitized by Google

esse verba Gratiani, non de necessitate simpliciter, sed de decentia, quatenus dedecet ministros altaris bellãdi exercitio, & effusioni sanguinis vacare, vnde solum vult, quod seclusa necessitate, nec propria, nec Pontificia authoritate decenter, & congruenter bellare possunt Clerici, non tamen negat Pontificem simpliciter, & absolutè dispensare posse cũ illis. Vt testimonium autem à Gratiano adductũ, melius intelligatur, aduertere oportet, Euangelistas Diuum Lucam, & Diuum Matthæum, duo referre, dixisse Christum Dominum paulò ante passionem, quæ inter se pugnare videntur, primum est illud Lucę 22. *Qui non habet, vendat tunicam suã, & emat gladium*; secundum est illud Matthæi 26. *Conuerte gladium tuum in vaginã*. Ex quibus quidam inferunt, primo istud pręcepisse Apostolis, vt persecutionis tempore se munirent, quod Vgoni Carensi perperam tribuit Erasmus in annotationibus ad prędictum locum, tamen Sixtus Senensis lib. 6. annotatione 156. ab hac calumnia illum vindicat dicẽs, eum affirmare Christum tribuisse potestatem Apostolis, & Ecclesiæ ad vtendum gladio in defensionem Ecclesiæ, non verò præcepisse, vt per se ipsos id facerent.

Luc. 22.
Matth. 26.
Vgo. Caren.
Sixtus Sen.

possunt

possunt enim se defendere per manus sæcularium. Beda autem, & Diuus Ambrosius in Lucam opinantur Christum Dominum voluisse, vt eius discipuli armis munirentur, non vt illum defenderent, sed vt ostenderent potuisse se defendere, noluisse tamen; Diuus Basilius verò in compendio quæstionum Selectarum quæst.251. ait sermonem Christi Domini non esse præceptiuum, sed quasi propheticum, Erasmus deinde censet exponendum esse prædictum locum de gladio spirituali tantum, sed hæc expositio non est iuxta literam, tandem Diuus Chrysostomus homil.85. in Matth. & Theophylactus super prædictum locum interpretãtur verba Christi non continere præceptum, nec permissionem, sed fuisse quandã phrasim, & modum loquendi ad declarandum acerbissimam persecutionem, quæ illis instabat, in quasi modo humano agendum esset, necessariũ erat vendere tunicam, & præparare arma, & instrumenta bellica. Ex secundo tamen loco Diui Matthæi quidam perperam colligebant omnino prohibitum esse bellum, & maximè Clericis in quam sententiam contendunt trahere Origenem, & Euthimium ibidem, & Diuum Ambrosium Lucæ 22. Verum

D. Ambros. *D. Basilius.* *Erasmus.* *D. Chrysost.* *Theophylact.* *Origenem.* *Euthimium.* *D. Ambros.*

rum ab hac calumnia iam ſupra eos liberauimus capit.2.obiect.3. dicendum igitur eſt iuſta mentem Diui Auguſtini lib.22. contra Fauſtum,quem ſequitur Diuus Thomas 2.2. quæſt.40.art.1.verba illa à Chriſto Domino dicta Petro, non eſſe limitanda ad Clericos: quia germanus eorum ſenſus eſt, quod qui propria, & priuata authoritate alium occidit dignus eſt, vt eadem pœna ipſe afficiatur, quam doctrinam manifeſtum eſt latè patere, tam ad Clericos, quàm ad Laicos. D. Auguſtin. D.Thomas.

Secundo impugnat eandem ſententiam ex Diuo Thoma 2.2. quæſt.40.art.2. in hũc modum. Bellica exercitia pugnant ex natura rei cum illis officijs, ad quæ Epiſcopi, & Clerici deputantur; ergo iure naturali ſunt illis prohibita. Conſequentia eſt nota à ſibi mutuo repugnantibus l. *vbi repugnantia* ff. de regul.iur. & cap.*ſollicitudinem* de appellationibus. Antecedens autem probatur ex eodem Diuo Thoma, primo generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines pariũt, vnde multũm auocant animum à contemplatione diuinorum, à laude Dei, & oratione pro Populo, quæ ad officium pertinẽt Clericorũ, & ideò ſicut negotiationes propter hoc, quod nimis implicãt D. Thom. l. vbi repugnantia.

O animum,

animum, interdicuntur Clericis. Ita & bellica exercitia, secundum illud 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotijs.* Secundo propter specialem rationem: nam omnes Clericorum ordines, ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi, secundum illud 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Et ideò non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad proprij sanguinis effusionem pro Christo, vt imitentur opere, quod gerunt ministerio. Et hinc institutum est, vt effundentes sanguinem, etiam sine peccato, sint irregulares. Nulli autem, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id exercere, per quod suo officio incongruus redditur, vnde Clericis non licet omnino bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem.

Timoth.

1. Cor. 11.

Respondeo aliud esse habere facultates diuersas, ad operandum contraria, & repugnantia pro diuersis temporibus, aliud vti illis simul eodem tempore. Primum quidem prohibitum non est Iure naturæ, nec in natu-

turalibus, nec in moralibus, cum videamus Laicum habere facultatem seruandi continentiam, & ducendi vxorem, quamuis non possit vtrumque, simul eodem tempore seruare, & ita cui negatur hoc, non negatur illud; sic in proposito, quamquã ministrare altari, & bellare, pugnent inter se, quantum ad simultaneum vsum; non tamen pugnant facultates ad ista. Immò nec vsus earum pro diuersis temporibus, vnde quamuis lacrymæ, & orationes sint arma sacerdotis, vt ait Diuus Ambrosius cap. *conuenienter* 13. quæst. 8. id tamen non obstat, quo minus secundum exigentiam rei, vti possit armis materialibus absque aliqua iuris naturalis, vel diuini positiui violatione, vnde Nauarrus tomo primo Consiliorum lib. 1. cons. 3. num. 12. ait: *Certum est quod Papa habet facultatem bellandi, & pacandi, occidendi, & parcendi, pugnandi, & orandi, licet eodem tempore, & eodem respectu circa idem, non possit simul vtrunque facere*. Concludo ergo rationes illas Diui Thomæ non probare, ex natura rei esse illicitum Clericos bellare, sicut nec probant illicitum esse, quod sint Iudices, Medici, vel Aduocati, de quibus etiam procedunt dictæ rationes, sed solum

D. Ambros.

Nauarr.

D. Thomas.

Digitized by Google

D. Thomas. concludunt (nec aliud intendit Diuus Thomas) congruum, & rationabile esse ius humanum prohibens Clericis bellare, seclusa necessitate, vt habetur 23.quæst.8.per multa capita.

Iure dumtaxat humano prohibitum esse Clericis propria manu bellare, & qua ratione id licitè efficere possint, non obstante tali iure. Cap. III.



VAMVIS nullo iure diuino, aut naturali prohibitum sit Clericis personaliter bellare, vt supra ostensum est. Iure tamen humano cautum est, ne id faciant, Concil. Tol. 4. vt patet ex Concilio Toletano, & Concilio Concil. Meld. Meldensi, & ex multis Pontificibus relatis 23.quæst.8. per multa capita, specialiter tamen Nicol. Papa. ex Nicolao Papa capite *Clericus* distinctione 30. vbi prohibet Clericum, qui in bello Paganum occiderat, ad altiorem gradum ascendere, iubetque illum in gradu iam habito manere suspensum: *Quia Clericis*, inquit, *bellum gerere non licet*. Vndè fateor hãc prohibitionẽ esse antiquissimam in Eccle-

clesia, & in dictis capitulis non poni, vt ius nouum, sed exprimi tanquam antiquum, de quo videndi sunt Cardinalis Turrecremata 23.quæst.8.Syluester verb.*bellum* Sotus lib. 5.de *Iustitia* quæst.1.art.4.Franciscus Arias de *bello* nu.6. vbi adducit Ioannem Papam. qui Angelbergæ Imperatrici excusans Ioannem Episcopum remoueri de militia dicit: *Nimium certè veretur, & iure formidat contra professionem sui ordinis sæcularem militiam exercere, terram defendere, de prælijs tractare*: Et Diuum Ambrosium dicentem: *Non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites*. Item adducit Nicolaum Papam ad Carolum Imperatorem, cui hæc scripsit: *Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti dicendo maiorem partem Episcoporũ omnium diù noctuque, cum omnibus alijs fidelibus tuis contra Piratas Maritimos inuigilare*; refert etiam Gregorium dicentem: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, gens neque Ducem, neque Regem haberet, sed quia timeo Deum in morte cuiuslibet hominis me miscere formido*. Ac tandem videri potest Iuo Carnotensis de vita Clericorum, vbi refert verba Concilij 4.Toletani canon.44. His tamen Iuris, & Patrum

Turrecremata. Syluester. Sotus. Franc. Arias. Ioan. Papam. D. Ambrosiũ. Nicol. Papam. D. Ambros. Nicol. Papa. D. Gregor. Iuo Carnot. Conc. Tolet.

Digitized by Google

testimonijs non obstantibus in multis casibus licitum est Clericis non solum bellum indicere, sed & propria manu bellare. Et quidem de indictione belli, id fatentur omnes præcitati Doctores cum Syluestro verb. *bellum* 3. quæst. 1. dum aiunt Clericum habentem dominium temporale in Republica perfecta, posse indicere bellum iustum, & Ducem constituere ad eum certè modum, quo potest Iudicem creare, qui ius dicat in causa sanguinis; licet alias id Clericis per se loquendo sit prohibitum, cuius doctrinæ ea prçcipuè ratio à Doctoribus adducitur, quod ad Rempublicam perfectam pertinet posse bella mouere, alias non esset sibi sufficiens. Igitur cum tota potestas Reipublicæ sit in Principe manifestè consequitur prædictum Clericum habentem dominium temporale in Republica perfecta, posse propria authoritate bellum gerere. Quod autem propria manu id aliquando efficere liceat, patet primo in casu quo Summus Pontifex dispenset ad id efficiendum: cum enim præceptum abstinendi à bellis non sit iuris diuini, naturalis, aut positiui, sed humani tantum, subiacet sine dubio dispensationi summi Pōtificis ex causa rationabili, vt præcitati Docto-

D. Syluester.

ctores ingenuè fatentur. Idque patet ex cap. *quo ausu* 23. quæst. 8. vbi Gelasius Elpirio Episcopo ait: *Quo ausu, qua temeritate rescribis Rauennam te parare proficisci, cum Canones euidenter præcipiant, nullum omnino Pontificum, nisi ante visis, atque consultis ad comitatum debere contendere.* Ecce supponit id, quod alias prohibitum erat per Canones licitè fieri posse ex consultatione Pontificis. Nec oppositum docet Gratianus, vt nos latè ostendimus supra cap. præcedenti. Secundo erit licitum Clericis bellare manu propria, etiam non obtenta dispensatione Pontificis, in casu quod Respublica esset in extrema, vel grauissima necessitate. Ita Caietanus, Magister Bannes, & reliqui interpretes Diui Thomæ 2. 2. quæst. 40. art. 2. Et ratio ipsa id suadet, quia sicut gratia non destruit naturam, ita nec lex Ecclesiastica destruit naturalem, sed lex naturalis inclinat, & præcipit hic, & nunc pugnare cum hostibus, quia vnusquisque iure naturali tenetur defendere suam Rempublicam: igitur in tali casu licitum est Clericis bellare absque obtenta formali licentia, virtualis enim licet non esset necessaria, in simili tamen casu semper adest, quoniam euidens

c. quo ausu.

Bannes. Interpretes D. Thomæ.

est, quod si tunc adesset legislator Pontifex vellet Clericum in eo casu bellare, vnde rectè intulit Magister Bannes præcitato loco dub. 2. Non solum posse Clericum in prædicto casu licitè pugnare, sed ad id teneri: nā lex Ecclesiastica non deobligat aliquem ab eo, quod secundum legem naturæ tenetur facere. Igitur cum vnusquisque iure naturæ teneatur defendere suam Rempublicam, etiam Clerici in defectu Sæcularium, id efficere poterunt, quod non solum verum esse iudicat de bello defensiuo, sed & offensiuo, vnde subdit: *Si esset extrema, vel grauissima Ecclesiæ necessitas, vel quando inde perueniret pax, vel maxima vtilitas status Christiani &c. in tali casu possent pugnare.* Idem docet Molina de Iustitia, & iure tract. 2. disput. 108. §. *sunt.* vbi ait: *Sunt verò aliqui casus, in quibus Clericis licitum est pugnare. Primus, quando Clericus non potest aliter cōseruare propriam vitam. Secundus quando id necessarium esset ad defensionem Reipublicæ patriæ, aut ciuitatis. Tertius quando id opus esset ad consecutionem iustæ victoriæ, à qua pax, & bonum commune Ecclesiæ pendet. Quartus quando Clericus sine notabili suo periculo interficere posset nocentem, idque ne-*

Bannes.

Molina.

necessarium omnino esset ad defendendam vitam innocentis. Quibus casibus potest addi alius, quando scilicet opus esset in hostes mittere bombardas, & solum Clerici illas aptè dirigere possent, neque obstat textus in cap. *sententiam*: ne Clerici, vel Monachi, vbi inter alia quæ propter sanguinis effusionem Clericis prohibentur dicitur: *Nullus quoque Clericus ruptariis, balistariis, aut huiusmodi viris sanguinum præponatur*. Quibus verbis prohibentur præfici in bello, etiam iusto, ijs qui machinas ad rumpendum murũ mouent, aut quouis alio instrumento pugnant: ergo à fortiori est illis prohibitum mouere prædictas machinas. Hoc, inquam non obstat, quia vt supra dictum est, cum id sit præceptum iuris humani, nõ potest derogare iuri naturali, in eo autem casu ius naturale præcipit prædictas bombardas dirigere. Vndè cum iuxta communem Theologorum sententiam, quando duo præcepta occurrunt, quæ non possunt simul impleri, maius deobligat à minori, & in prædicto casu sint duo præcepta, vnum naturale defendendi Rempublicam, & aliud positiuum humanum, bellandi vsum Clericis interdicens: manifestè efficitur per præceptum naturale,

Digitized by Google

turale, quod est maius tolli obligationem humani, quod est minus. Propter has igitur causas, quamuis armorum vsus, & profana militia à Sacerdotum munere aliena esse videatur. Multi tamen Clerici laudabiliter pro patria, & Ecclesiæ libertate acriter in bello dimicarunt. Nam (vt author est Polidorus Virgilius) anno circiter 1347. Eduardus III. Angliæ Rex Clericorum conscripsit exercitum aduersus Scotos Britanniæ Insulæ prædatores. Et Aeneas Siluius in historia Bohemica cap. 25. refert Bisetislaum Pracensium Antistitem, peritia rei militaris Boemicum Regnum per sexdecim annos ab externa armorum vi illæsum conseruasse. Et Paulus Tomoræus Collocensis Episcopus, ac Franciscanus Cœnobita, prout describit Iouius in libro de rebus turcicis. Hunnorum copias duxit in Solimanum Turcarum Imperatorem. Et Ioannes Carauajal Hispanus Cardinalis Sancti Angeli, cum nostro Ioanne à Capistrano viro sanctissimo, & in Beatorum numerum redacto, ad Albã Græcam, eductis copijs profligauit Muhamedem, Othomanici Imperij Principem. Noster etiam Frater Frãciscus Ximenez Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Archiepiscopus

Eduard. III.

Aeneas Silu.

Iouius.

Io. Carauaial.

Io. Capistran.

Franc. Ximenez Card.

pus

pus Toletanus, insignem victoriã, cum cœpit Oram, reportauit, solitusq. erat dicere, nõ minus bene sibi olere igneum puluerẽ in bello, quam thus in Ecclesia igni admotum. Henricus etiam Cardinalis Pontificius in Angliam legatus, numerosas militum Turmas aduersus Boemos misit, & Anno Domini 637. cũ milites Mauritij Chartularij, authoritate, ad diripiendum Thesaurum Ecclesiæ Lateranensis properarent, à Clericis, cum armata Iuuenum manu, qui à Seueriano Papa, re præuisa coierant, acriter repulsi, eo prorumpere nequiuerunt, vt refert Stephanus Valentinus de potestate coactiua cap. 9. n. 9. Atq; ex prædictis omnibus colligo licitum esse Clericis consulere, & monere Principes, vel milites seculares ad bellum iustum: pro quo aduerto hanc persuasionem dupliciter fieri posse, vno modo ante congressum belli, & hoc sine dubio licet, quia non est de se malum, nec est prohibitum in iure: quinimo persuadetur multis exemplis Pontificum, Gregorij, Leonis, Calixti, & aliorum, quæ habentur 23. q. 8. specialiter cap. *quicunque ex Clero*, vbi dicitur *Sacerdotes propria manu arma arripere nõ debent, sed alios ad arripiendum ad oppressorum defensionem*

Hen. Cardin.

Mauritius.

Sthepanus.

Gregor.
Leo.
Calixtus.

atq;

atq; inimicorum Dei impugnationem eis licet hortari. Ex varijs etiam Historijs quas longum esse percensere constat fuisse vsitatum apud Pontifices incitare Principes ad bella iusta, nec tunc persuadetur perfectè homicidium: sed solum persuadetur actus Iustitiæ sicut licet persuadere Iudici, vt Iustitiam amplectatur, quod licitum esse, nemo inficiabitur. Alio autem modo potest fieri hæc persuasio in ipso actuali congressu, vt si Clericus tunc exhortetur milites ad agendum fortiter, & hoc etiam modo licitum esse communiter docent Doctores propter rationem supra tactam; quia illud non est de se malum, nec iure aliquo prohibitum; immo iura absolutè dicunt licere exhortari ad bellum Iustum, nec dicunt ante, vel post congressum; quia vtrobiq; est eadem ratio; cum hortatio fit in genere ad pugnam, & ad fortiter agendum absq; eo quod addatur interfice, aut mutila hunc: Ita docent Nauarr. in manuali cap. 27. n. 211. Molina de Iustitia, & Iure tractatu 2. disputatione 108. §. *his nõ obstantibus*. Et alij Doctores supra citati, qui omnes cum alij statim citandis docent licere Clericis interesse bellis, vt militibus subueniant suis exhortationibus, & absolutionibus

Nauarr.

Molina.

Digitized by Google

bus ſicut, & in veteri lege præcipiebatur quod Sacerdotes in Sacris buccinis in bello clangerent. Vnde quando in capite *quod in dubÿs* de pœnis, damnantur Clerici qui alios incitant ad pugnandum, vel intelligendum eſt, de exhortationibus dicendo, trucida, interfice, & ſimilia, vel de pugnationibus in bello iniuſto, prout ibi etiam exponit Gloſa. Nam qui exhortatur alium ad iuſtum bellum, æquiparatur homicidæ, & cenſetur irregularis iuxta textum in cap. *ſicut dignum.* §. *ſi vero.* §. *vltimo* de homicidio. id autem quod ſignificat Diuus Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. ad ſecundum, nimirum non licere Clericis bello intereſſe ſine licentia ſuperioris, quod etiam videtur colligi ex cap. *reprehenſibile*, & cap. *quo auſu*, & cap. *ſi quis Epiſcopus* 23. q. 8. Verum eſt, loquendo de conſenſu ſaltem præſumpto Superioris, non de formali explicito, & expreſſo, vt rectè probat Molina loco ſupra citato his verbis. *Dicendum eſt, conſenſum, ſaltem præſumptum Superioris, ſufficere, vt Prælati, & Clerici præſentes eſſe poſſint bello, immò, & vt religiosè, ac piè in ipſomet cõflictu excitent ad victoriam, & pugnam in genere, quando eſt aduerſus Eccleſiæ, & fidei hoſtes; modo in particulari nõ* D. Thomas.

di-

Digitized by Google

dicant: Interfice, aut mutila; sed vel fortiter age, vel ne succumbas, vel pugna strenuè pro fide. Neq; aliud quam illud videtur voluisse Diuus Thomas in responsione ad secundum citata: Præsumptus vero consensus intelligi potest, quando Ecclesiastici accedunt sine detrimento propriarum ouium, & proficiscuntur: vel ad subueniendum proximis in spiritualibus: vel quia pręsentia Ecclesiasticorum, confert non parum ad defensionem Ecclesiæ, vel propriarum ouium; vel boni cōmunis: vel ad illius notabile augmentum. Eoq; plus locum habet præsumptus consensus Superioris, quando cum nihil occurrat vnde contrarium sit credendum, non est facilis ad eum accessus, vt Prælatorum ad Summum Pontificem. Præsumptus vero consensus in re proposita pro expresso haberi debet, præsertim, cum ex præsentia, & adiutorio in bello iusto nulla incurratur irregularitas, vt sequenti capite dicemus. Sed posset quispiam aduersus traditam doctrinam in hunc modum insurgere: Non licet Clerico persuadere Militi, vt occidat hunc, vel illum hostem in particulari, vt omnes fatentur; Ergo nec persuadere ei, vt fortiter se habeat in bello: probo consequentiam quia ideo illud

Iud primum est illicitum, quia est causa occisionis. At etiam in secundo casu, est causa similiter occisionis. Nam regulariter loquendo, ex eo quod quis acriter, & fortiter pugnet, frequenter sequũtur occisiones multorum: ergo vtrumq; est illicitum. Respondetur negando consequentiam: Nam cum Clericus incitat aliquem ad alacriter pugnã dum, sanè vtitur iure suo. Quare etiam si inde sequatur mors, non imputatur illi, nec reputatur voluntaria respectu eius. Nam vt esset voluntaria oportebat, quod posset vitare eam, & teneretur, quare tunc non est causa moralis, sicut neq; etiam censetur causa moralis occisionis Clericus, qui est Dominus Temporalis, dum constituit Iudicem, quamuis regulariter loquendo talis Iudex debeat occidere, vel mutilare malefactores, quia tunc creãdo talẽ Iudicẽ, vtitur Iure suo.

Cle-

Digitized by Google

Clericos in casibus, in quibus bellando non peccant, nullam prorsus irregularitatem incurrere occidendo, aut mutilando auctoritate, & ratione ostenditur. Cap. IIII.



Lurimos habet Aduersarios hęc nostra assertio, sed eos omnes deceptos fuisse euidēter (ni fallor) ex dicendis in hoc, & sequenti capite patebit, & quidem in primis, vt ab auctoritate exordiar, propositam assertionem expresse tuentur ex Theologis. Syluester *ver. bellum* 3. q. 3. Victoria in commentarijs manuscriptis ad 2. 2. q. 40. art. 2. Molina de Iustitia tractat. 2. disput. 190. & alij multi moderni. Ex Iuristis autem illam sequuntur Fortunius relatus à Nauarro cap. 27. n. 213. Couarruuias in Clementina *si furiosus* par. 2. §. 3. n. 2. & par. 3. §. 1. n. 5. Plaza lib. 1. de delictis cap. 28. Sed iam ratione agamus. Primo quia vt constat ex prędicta Clementina *si furiosus*, de homicidio. qui occidit aliquem in suam defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem. Ergo nec illam incur-

Syluester. Victoria. Molina. Fortunius. Nauarr. Couarru.

cur-

currit, qui cum pugnare tenetur, occidit aliquem in defensionem Reipublicæ. Patet consequentia, quia commune bonum præfertur proprio, tanquam dignius, & excellentius, atque adeò maiori vinculo tenetur ad defensionem Reipublicæ, quam ad defensionem sui: ergo si defensio sui est exempta ab irregularitate, multo magis defensio boni communis.

Secundo, quia si in prædicto casu Clericus occidens in bello incurreret irregularitatem, hæc duo contradictoria essent simul vera, nimirum quod teneretur, & non teneretur in prædicto bello occidere; teneretur quidem, vt satisfaceret obligationi naturali defendendi Rempublicam, & simul etiam non teneretur, cum indè reddatur inhabilis ad officium, & ministerium presbyteratus exercendum. Quam tamen inhabilitatem iure diuino vitare tenetur: simul ergo dantur vera illa duo contradictoria, quod est manifestè absurdum.

Tertio, quia in prædicta Clemētina *si furiosus* de homicidio neutiquam statuitur nouum ius, sed declaratur per epicheiam, nunquam fuisse mentem Ecclesiæ, vt qui alium occideret in propriam defensionem cum de- Clementina.

bito moderamine incurreret irregularitatẽ, ſed quando ius naturale ſub peccato mortali obligat ad occidendum inuaſorem Reipublicæ eſt longè maior, & vrgentior neceſſitas, non ſolum propter rationem ſupra tactã, quia bonum commune præferendum eſt bono particulari, ſed quia in primo caſu ſolum adeſt neceſſitas vitandi propriam mortem corporalem. In ſecundo verò vrget neceſſitas vitandi mortem ſpiritualem animę: ergo multo magis per epicheiam interpretandum eſt, non eſſe mentem Eccleſiæ, vt Clericus in bello occidens in caſu, quo ad id teneatur, ob defenſionem Reipublicę, incurrat irregularitatem. Minor & conſequentia huius diſcurſus ſunt euidentes, & maior de qua multi Thomiſtæ dubitant, eſt mihi omnino certa illamque docent Nauarrus cap. 27. nu. 211. Sotus 5. de Iuſtitia quæſt. 1. art. 8. ad 3. Panormitan. cap. *ſicut dignum* de homicidio nu. 14. Et conſtat apertè ex verbis illius Clementinæ dum ait: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit*. Ex quibus apertè patet, ibi non condi nouum ius cum propter prædictas actiones vtpotè non humanas; nunquam olim

Nauarrus. *Sotus.* *Panormitan.* *Clementina.*

incurre-

Digitized by Google

incurreretur irregularitas.

Quarto probatur efficaci ratione(vt aiūt) ad hominem: nam Caietanus, & Nauarrus, & alij capite ſequenti referendi, qui noſtrā ſententiam non probant, fatentur quod qui iure naturali tenetur denūciare de crimine, pro quo alius eſt interficiendus, non incidit in regularitatem, quamuis alias ex ea denunciatione ſequatur mors denunciati, ad quod non alia ratione mouentur, niſi quia cum iure naturali teneantur ſub culpa mortali denunciare, interpretandum eſt per epicheiā leges Eccleſiaſticas, quæ iuri naturali prẹiudicare, nec debent, nec poſſunt; nulla ratione velle, vt in eo caſu ille incurrat irregularitatem. At in caſu noſtræ aſſertionis Clericus tenetur iure diuino, & naturali mutilare, & occidere pro defenſione Reipublicæ: ergo pari ratione non incurret irregularitatem. Et quamuis iſti caſus videantur alicui diſſimiles, quia in iſto Clericus per ſe occidit, in illo verò non per ſe, ſed per Iudicem; tamen rationes Caietani 2. 2. quæſt. 33. art. 7. Quibus probat Clericum denunciantem non eſſe irregularem, probant etiam quod Clericus, qui ex præcepto iuris naturalis præliatur non ſit irregularis. *Quoniam*, Caietanus.

 ait,

ait, *non est rationi consentaneum, quod Ecclesia voluerit arcere suum ministrum à ministerio ratione actus, ad quem tenetur, sub mortali, nec etiam est rationabile, quod Clericus, qui non habet vnde viuat, nisi ex suo ministerio, arceatur ab eo, & mendicato viuat propter actum, quem absque peccato mortali omittere non poterat. Ac tandem quia nulla lex Ecclesiastica debet pugnare cũ lege naturali, nec esse motiuum, vt lex naturalis violetur*: at omnes istæ rationes (vt facilè patebit discurrenti) eandem vim habent ad nostram sententiam comprobandam: ergo illa est vera, & prædicti authores (bona pace eorum dixerim) non sibi constant.

Quinto, quia imponere irregularitatem occidentibus in isto casu, non est aliud secundum rei veritatem, quam prohibere talem occisionem, sub pœna irregularitatis ipso facto incurrendæ, vnde talis prohibitio esset lex verè penalis: at Ecclesia non prohibet, nec prohibere potest, id quod ius naturale strictè præcipit: ergo Clerici in prędicto casu non incurrunt irregularitatẽ; alias Ecclesia puniret illos propter obseruationem præcepti iuris naturalis, & sic eos retardaret: immò & auocaret ab obseruatione illius,

Digitized by Google

illius, cum multi, vt vitarent illam pœnam non vellent pugnare.

Sexto, nam vel illa irregularitas in prædicto casu oritur ex delicto, & hoc non, cum supponatur Clericum teneri ad occidendum in bello ex præcepto iuris naturalis: aut oritur ex defectu lenitatis, seù ratione significationis propter defectum mansuetudinis, & hoc etiam non, quia nemo dici potest minus perfectè mansuetus, & lenis ex eo, quod aliquid efficiat ex præcepto iuris naturalis cogente, sub mortali ad id efficiendum, dixique notanter: *cogente* propter iudicem, qui quamuis in occisione malefactorum non peccet: immò ad id teneatur ex iustitia, irregularitatem tamen incurrit, quia sicut voluntariè se subijcere voluit muneri, quod id habebat annexum: sic in radice, & in causa voluit actum, quo propter defectum lenitatis minus idoneus redderetur ministerio altaris. In nostro verò casu non se immiscuit sua sola voluntate muneri bellandi, sed ad id compulsus, & quodam modo coactus fuit præcepto iuris naturalis. Et hinc aliam rationem desumo in idem argumentum, quia vt communis fert Doctorum sententia in bello non incurritur irregularitas homicidij,

Digitized by Google

nisi homicidium sit voluntarium, sed quando quis præcepto compellente alterum occidit propter defensionem Reipublicę, aut boni communis, vel alterius rei similis, quasi coactè occidit: ergo non fit irregularis. Neque obstat si dicas etiam iudicem ex præcepto furem occidere, cum ad id teneatur ratione officij, & nihilominus fieri irregularē, quia vt nuper dicebam ad hoc, vt homicidium dicatur voluntarium, sufficit vt sit volitum in sua causa, quod re vera hic reperitur: nam licet habeat iudicis officium tamen non ita coactè, sed voluntariè suscepit illud vndè & illud posset tunc sine peccato mortali recusare, & ab eo desistere.

Septimo, nam si quis alterum non defendat cũ possit, & ratione talis omissionis præcisè occidatur alius, fit irregularis: ergo si defendendo occidat nullam irregularitatem incurret. Patet consequentia, quia incredibile omnino est, quod Ecclesia aliquem inhabilitet, si aliquid faciat, & similiter si non faciat: ergo si inhabilitat Clericum, quia non defendit mortem eius, quem defendere tenebatur ex cuius commissione mors alterius secuta est; manifestum est, quod non inhabilitabit eundem, si occidat defendendo.

Digitized by Google

do. Antecedens tenet Couarruuias 2. par. §.3. nu. 7. Et docet Siluester verb. *homicidiũ* 3. q. 5. partic. 5. Angelus *homicidium* 1. §. 17. Et Nauarrus cap. 27. n. 232. Couarruuias. Syluester. Angelus. Nauarrus.

Vltimo probatur, quia hæc sententia colligitur ex nouo iure, quod habetur in dicta Clementina vnica de homicidio. Vbi dicitur, quod nullam incurrit irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem, ex hoc enim sic argumentari licet, qui defendit seipsum cum debito moderamine si occidat, non incurrit irregularitatem, sed defendendo Rẽpublicam defendit seipsum tanquam partẽ illius: ergo defendendo Rempublicam, non est irregularis. Dices, id vt plurimum esse verum, quando Clericus tenetur ex iustitia defendere Rempublicam, eo quod est pars illius: tunc enim benè verificatur, quod defendens Rempublicam, defendit seipsum; secùs autem, quando solum tenetur defendere Rempublicam ex charitate, quia scilicet non est pars illius, sed nihil sanè hoc refert, quia quando Clericus tenetur ex charitate defendere Rempublicam, certè licet non sit pars illius tamen defendendo eam, simul etiam defendit seipsum, qui est in illa,

Digitized by Google

atque adeò censendum est in eo casu excusari ab irregularitate, nec refert etiam si quis dicat, quod ille aliter mortem vitare posset recedendo ab ea Republica. Quia certè id possumus, quod iure possumus, & cum ille non possit recedere ab ea Republica sine peccato, eo quod tenetur ex charitate illam defendere, iudicandum est, iuxta verba prædictæ Clementinæ, illum non posse aliter vitare mortem, atque adeò non incurrere irregularitatem.

Sed posset quispiam à nobis merito quærere an id, quod huc vsq; diximus de Clericis, dicendum etiam sit de laicis? Quidam moderni respondent negatiuè dicentes Clericum non fieri irregularem in prædicto casu, secus verò laicum, & adhibent rationem differentiæ, quia Clericus habet iam susceptum ordinem, & ideo non videtur rationabile, quod Ecclesia voluerit illum arcere à ministerio Ecclesiastico propter actum ad quem tenetur: Secus autem est de laico, sed certè hoc non videtur verisimile: quia si Clericus, & Laicus defendunt Rempublicam, rationi consonum est, quod si Clericus, qui est initiatus sacris, non fit irregularis ad exercendos ordines; nec etiam Laicus fiat irregula-

gularis ad eos ſuſcipiendos. Ideo alij dicunt rationem differentiæ eſſe : Quia Clericus nõ tenetur ex officio bellare, Laicus verò tenetur ex officio poſt quam ſuſcepit ſtipendium; & ideo Laicus defendendo Rempublicam fit irregularis, non autem Clericus : cęterũ nec hęc ratio videtur ſatisfacere : quia Clericus dato nõ teneatur bellare ex officio, poſt quã non ſuſcipit ſtipendium, tamen ſi eſt pars Rei publicæ tenetur ex Iuſtitia illam defendere; Et ſimiliter Laicus non opus eſt quod ſemper teneatur ex officio, ſuſcipiendo ſtipendiũ; ſed poteſt teneri vel ex Iuſtitia ſi eſt pars Reipublicæ, vel ex charitate ſi non eſt pars; Ergo &c. Quare cũ non videatur aliqua ratio differentia eſſe in præſenti caſu, inter Clericum, & Laicum, crediderim omnino dicendum quod ſiue oblatio defendendi Rempublicam oriatur ex Iuſtitia, aut ex Charitate, nullus illorum fiet irregularis. Moueor ad hoc primo quia Canones Eccleſiaſtici imponentes irregularitatem homicidijs indiſtinctè loquuntur, & ex æquo comprehendunt omnes tam ſacris initiatos, quàm non, initiatos, hos quidem, vt non promoueantur illos verò ne in ſuſceptis ordinibus adminiſtrent; Ergo eodem modo ſe habet irregu-

laritas

laritas in vtroq;: ſcilicet,vt pœna,aut ſolum tanquam impedimentum. Secundo probatur quia ſi irregularitas eſt pęna id habet reſpectu amborum. Nam ſicut irregularitas priuat ſacris initiatos actione debita in eſſe, ſcilicet ordinis vſu, ita etiam priuat non initiatos iure actuali, quod habebant,vt poſſint ordinari. nam ex vi receptionis Sacri Baptiſmatis habent ius ad ſuſcipiendos ordines, ergo reſpectu vtrorumq; habet rationem pęnæ, & conſequenter vtriq; excuſabuntur ab illa quando nullam culpam committunt in occiſione. Tertio probatur de irregularitate quatenus reddit inhabilem ad obtinenda beneficia:nam nullum maius ius ad prædicta beneficia habet in ſe Clericus Sacris initiatus,quam non initiatus; Ergo ſi priuatio Iuris obtinendi beneficium habet per irregularitatem rationem pęnæ reſpectu vnius, ſimiliter illam habebit reſpectu alterius, & conſequenter ſi Clericus prædicto modo in bello occidens, non priuatur iure obtinendi beneficia per irregularitatem, nec etiam Laicus. Atq; ex his omnibus colligo Clericum occidentem in bello, in quo ex diſpenſatione Romani Pontificis bellat, nullam incurrere irregularitatem. Nam Pontifex tribuẽs

licen-

licentiam exercendi aliquem actum censetur dispensare in omnibus, quæ concomitantur ipsum, & tollere omnia impedimenta ad exercitium eius: Ita communiter Doctores, quos sequitur Bannes 2.2. q. 40. art. 2. dub. 4. Bannes.

Referuntur, & refelluntur rationes probatam sententiam impugnantes. Cap. V.



Vidam Thomistæ acriter impugnant nostram assertionem putantes Clericos qui pugnant etiam quando pugnare tenentur fieri irregulares si occidant, vel mutilent. Ita Caietanus 2. 2. q. 33. art. 7. Nauarr. in manuali cap. 15. n. 2. & cap. 27. n. 215. quos sequuntur Medina Reg. 4. & ex professo Bannes 2. 2. q. 40. art. 2. dub. 4. §. tota autem difficultas. Nauarr. in manuali c. 15. n. 2. & c. 27. n. 215. Ad hanc sententiam amplectendam mouentur. Primo ex Clementina, *si furiosus*, de homicidio: vbi solũ excipitur ab irregularitate homicida ratione suæ defensionis, cum debito moderamine. At exceptio firmat regulam in cõtrarium; Caietanus. Nauarr. Medina. Bannes. Nauarr.

Digitized by Google

rium; Ergo qui occidit alterum in defensionem suæ Reipublicæ verè incurrit irregularitatem, nec valet recurrere ad paritatem rationis, quia in his quæ sunt iuris humani standum est dispositioni ipsius legislatoris. Vnde cum legislator solùm exceperit vnum casum, non debet extendi ad alium.

Secundo quoniam in præsenti, cum Clericus tenetur bellare irregularitas non consequitur ad peccatum: cum tunc occidens nullum committat, sed consequitur ad voluntariam occisionem, vel membri alicuius mutilationem. At in prædicto casu occisio, & mutilatio est voluntaria directè, non per se primo intenta, vt finis, sed vt medium ad defensionem Reipublicæ: Ergo verè incurrit irregularitatem.

Tertio quia quod Clericus in prædicto casu actum bonum, & obligatoriũ exerceat bellando, & occidendo, hoc sanè non obstat, quominus incurrat irregularitatem ex defectu significationis mansuetudinis Christi Domini. Nam etiam Iudex proferens iustam sententiam mortis contra malefactores, exercet actu bonum, & obligatorium ex iustitia, & nihilominus incurrit prædictam irregularitatem; Ergo etiam illam incurrit Clericus

in

in prædicto casu. Hæc sunt quibus præfati Doctores nostram sententiam infirmare contendunt. Cæterum ex dictis in præcedenti Capite facilè omnibus illis occurrere possumus. ad Primum enim Respondeo, quod vt supra dixi ex multorum sententia, Pontifex non condidit nouum ius, sed solum declarauit Antiquum secundum id quod sibi certum erat, relinquendo ea, quæ inter Doctores in dubio versabantur. Vel Respondeo quod ibi solum est sermo de homicidio voluntario, illud autem quod fit præcepto compellente, & quodam modo cogente, præcisèq; ad defensionem debitam sui, vel aliorum, non censetur simpliciter voluntarium quantum opus est ad incurrendam irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ad Secundum etiam Respondeo quod Iure Pontificio incurritur irregularitas ex homicidio voluntario, vel ex casuali, cum quis dat operam rei illicitæ, vel non adhibet diligentiam; in prædicto autem casu non potest dici voluntarium homicidium, est enim præter intentionem, neq; est casuale quia præuisum nec dat operam rei illicitæ, & ideo nulla tunc incurritur irregularitas, quæ etiam ratio probat in dicta Clementina *si furiosus* non fuisse

ſe conditum nouum aliquod Ius. Ad Tertium tandem iam ſupra dixi eſſe diſparem rationem quia illa Iudicis obligatio non oritur ex naturali iure cogente illum ad munus Iudicis obeundum ſed ex ſpeciali obligatione talis officij, quod tamen exercere eſt illi voluntarium, & repugnans Iure humano ſtatui Clericali.

Non ſolum Clericis in bello propria manu pugnantibus, ſed alijs etiam ibi aſſiſtentibus licitum eſſe accipere de bonis, quibus hoſtes expoliantur.
Cap. VI.


D duas claſſes reduci poſſunt Clerici, qui in prælio adſunt, quidam enim propria manu bellant, alij exhortationibus, confeſſionibus, & alijs pijs operibus militantibus inſeruiunt; ſi ergo loquamur de bellantibus propria manu, tunc diſtinguendum eſt, quia ſi licitè bellant, ſiuè id ſit ex prçcepto aliquo naturali, ſiuè ex diſpenſatione Romani Pontificis, dicendum eſt, quod ſi quid rapiant ab aduerſarijs, non tenentur illud reſtituere, magis quam ſæculares,
lares,

lares, ratio est, quia quicunque habet ius bellandi, habet etiam ius ad capiendas, & possidendas res aduersariorum, sed tunc Clerici habent ius bellandi: immò aliquando bellare tenentur: ergo habent ius capiendi, & possidendi bona aduersariorum non secùs, ac alij Sæculares milites. Si autem Clerici non licitè pugnent, vtputa, nullo præcepto cogente, aut sine dispensatione Romani Pontificis, licet alias ex Licentia Principis, aut Ducis. Certè Syluester verb. bellum 3. quæst. 4. affirmat eos teneri ad restitutionem, si quid acceperint: *Quia qui non potuit*, inquit, *dare Clerico authoritatem ad licitè bellandum, non potuit dare ad licitè rapiendum*. Atque adeò rapientes tenebuntur restituere: ego tamen crediderim illos non teneri ad restitutionem, ad quod ea ducor ratione, quod illi reuera non peccant contra iustitiam, nec faciunt hosti iniuriam, sed solum peccant contra obedientiam, violantes Sacros Canones Clericorum interdicentes exercitium belli. Ex obedientia autem, aut ex Religione, non oritur obligatio ad restituendum, vt per se notum est, & licet verum sit, quod Princeps non potuit dare Clerico facultatem ad bellandum licitè,

& sine

& sine peccato, potuit tamen dare authoritatem ad bellandum sine iniuria tertij, nec ad hoc est necessaria alia donatio, vel consensus Principis, sed eo ipso, quod Clericus acceptatur, vt miles habet in hoc ius cum alijs militibus. Si autem loquamur de Clericis in bello existentibus, non tamen pugnantibus dicendum esse iudico ex tacita Principis voluntate licitum esse illis spolijs aduersariorum gaudere, nec ad vllam restitutionem teneri, ratio est, quia tales sunt valdè vtiles exercitui, & tanquam partes exercitus ad illum pertinent: atque adeò gaudere debent commodis belli, sicut & reliquæ partes exercitus. Fateor tamen, quod vt rectè notauit Molina de Iustitia, & iure tractat. 2. disput. 108. si fortè constaret de contraria Principis, aut Ducis voluntate, prædicti Clerici, si quid acciperent, tenerentur ad restitutionem ipsi Principi, aut Duci faciendam.

Molina.

Quam

Quam vtile, & gloriosum sit militare in bello aduersus iura Ecclesiæ violantes.
Cap. Vltimum.



ON est animus Oratoris munus suscipere ad exhortandum milites acriter pugnare in bello pro illæsa conseruanda libertate Ecclesiastica; sed breuiter dumtaxat, vt iã finem dicendi faciam in medium proferre, quæ Sacri Pontifices Nicolaus, & Leo, nec nõ Diuus Bernardus in hoc genere argumẽti nobis scripta reliquerunt. Nicolaus ergo Papa exercitui Francorum scribens, provt refertur 23. quæst. 5. cap. *omnium*, sic ait: *Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit regna illi cælestia minimè negabuntur.* Et Leo IV. prout refertur 23.q.8.cap. *omni timore*, sic loquitur exercitui Francorum: *Omni timore, ac terrore deposito, contra inimicos agere viriliter studete, nouit enim omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate fidei, & saluatione Patriæ, ac defensione Chri-*

Nicolaus. PP. Leo. PP. D. Bernardus. Nicolaus PP. cap. omnium. Leo IV.

Q *stia-*

stianorum mortuus est, & ideò ab eo premium cæleste consequetur. Nec refert si quis dicat ibi agi de bello contra aduersarios fidei Catholicæ, quia quantum ad premium, etiam illud idem merentur, qui pugnant contra aduersarios sacræ libertatis. Sed iam audiamus

D. Bernardus. mus Diuum Bernardum sermone exhortatorio ad milites templi cap. 1. *Si bona* (inquit) *fuerit causa pugnantis, pugnæ, exitus malus esse non poterit*, & cap. 3. ait: *Christi milites securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium cædè peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo, vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippè Christo, indè Christus acquiritur: qui nimirum, & libenter accipit hostis mortem pro vltione, & libentius præbet seipsum militi, pro consolatione. Miles inquam Christi securus interimit, interit securior. Sibi præstat cum in-*

4. Rom. 13. *terit, Christo cum interimit. Non enim sine causa gladium portat. Dei etenim minister est ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Sanè cum occidit malefactorem non homicida, sed (vt ita dixerim) malicida, & planè Christi vindex, in his qui*

male

male agunt, & defensor Christianorum reputatur. Cum autem occiditur ipse, non periisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit suum, ac tandem cap. 4. sic ait: *Veri profectò Israelitæ procedunt ad bella pacifici. At verò vbi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent. Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? irruunt in aduersarios, hostes velut oues reputant, nequaquam, & si paucissimi, vel sæuam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Nouerunt siquidem, non de suis præsumere viribus, sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam: cui nimirum facilè esse confidunt, iuxta sententiam Machabæi, concludi multos in manu paucorum, & non esse differentiam in conspectu Dei cæli, liberare in multis, & in paucis, quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cælo fortitudo est, quod frequentissimè experti sunt, ita vt plerumque, quasi persecutus sit vnus mille, & duo fugarint decem milia. Ita denique miro quodam, ac singulari modo cernuntur, & agnis mitiores, & leonibus ferociores; vt penè dubitem, quid po-*

Psal. 138.

1. Machab. 3.

tius censeam appellandos, Monachos videlicet, an milites, nisi quod vtrunque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec Monachi mansuetudo, nec militis fortitudo, de qua re quid dicēdum, nisi quod à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? hæc ille. Quibus nihil aliud subiungam, quam illud eiusdem Diui Bernardi loco citato cap. 1. *Securi igitur procedite milites, & intrepido animo inimicos Ecclesiæ Christi propellite, certi quia neque mors, neque vita poterit vos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV; illud sanè vobiscum in omni periculo replicantes, siuè viuimus, siuè morimur Domini sumus.* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

D. Bernard.

Omnia, & singula, quæ in hoc opere continetur subijcio censuræ, & correctioni Sacrosanctæ Matris, Ecclesiæ catholicæ Romanæ.

IN-

Digitized by Google

INDEX HVIVS OPERIS

De Iuſtitia Belli Romani Pontificis aduerſus Sacræ libertatis violatores.

Liber Primus.



De

DE INIVSTITIA BELLI ex parte Violatorum Sacræ Libertatis contra Romanum Pontificem.

Liber Secundus.





DE

Digitized by Google

DE DAMNIS QVÆ BELLO ſanctè & licitè inferre poteſt Romanus Pontifex Sacræ Libertatis violatoribus.

Liber Tertius.

ten-



DE

Digitized by Google

DE MODO QVO PERSONÆ Ecclesiasticæ licitè possunt bellum gerere etiam manu propria, maximè pro Ecclesiastica libertate tuenda.

Liber Quartus.



den-



Errata, quę tàm ex inaduertentia Correctoris, quàm Typographi in hoc opere irrepsere.

Pagina.	*linea*	*error*	*correctio.*
2.	7.	Magistratum.	Magistratu.
9.	14.	Respublicæ.	Reipublicæ.
18.	25.	substuluisse.	substulisse.
34.	9.	superiorum.	superiorem.


Digitized by Google

43.	25.	præcedirit.	præciderit.
46.	2.	mereamini.	miremini.
50.	27.	dijſq; .	dijq;.
66.	1.	leuitate.	lenitate.
81.	26.	omnes filij.	omnis filiorum.
95.	8.	eum.	cum.
106.	16.	ad.	id.
106.	17.	ad.	id.
115.	15.	ſe iniicitur.	ſe immiſcet.
119.	8.	contrarius nocentē.	contra innocētē.
119.	22.	colligit.	cogit.
120.	1.	oſtendendi.	vendendi.
121.	26.	ad.	id.
127.	5.	Iuſtitia.	Iniuſtitia.
127.	27.	Sacra.	Sara.
138.	1.	obtinere.	obtineret.
138.	6.	Princeps.	Principes.
142.	8.	iuxta.	iuſta.
149.	12.	videbatur.	videbitur.
153.	7.	ſimulationum.	ſimulationem.
156.	18.	verumtatem.	verumtamen.
168.	27.	in futuram.	in futurum.
172.	3.	libri.	liberi.
174.	26.	impunè.	impiè.
188.	25.	dominium.	dominum.
190.	13.	dominium.	dominum.
199.	21.	belli.	bello.
204.	11.	exercitum.	exercitium.
205.	17.	clerici.	clericis.
209.	3.	iuſta.	iuxta.
220.	25.	alij.	alijs.
221.	9.	iuſtum.	iniuſtum.
233.	18.	oblatio.	obligatio.
233.	22.	homicidijs.	homicidis.
235.	17.	Nauarrus.	redundat.

Digitized by Google

ROMÆ
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.
M. D C I X.

Authoritate DD. Superiorum.



Digitized by Google

Digitized by Google

B... LIBRO ANTICO
C... IAGOMO
...ARA
LIB. 1370

[redacted] oogle